

In christi (passionibus) experientia:

uis patitur? Rerum dominus, de numine numen.
Quid patitur? Lacero corpore mille neces.
Pro quibus? Ingrata pro turba et gente scelesti.
Cur? Nos ut miseros eruat ut ille suos.
uis docuit? Humanis ranis, et morte recentem.
uando? Cum poterant vacua probare Deum.
Et quibus? Mortis, et avito sanguine iuncti.
Quomodo? Non cruentum in amore modu.

Erga Christu patientem affectus.

1. ADMIRATIONIS.

Quis satis hoc capiat? pro me per vulnera mi
Et potuisse Deum, nec deviteise mori!

2. COMMISERATIONIS

Aspecto, iisdem oculis tua vulnera Christe
Cum suis, cum clamis lucior ipse tuis.

3. DOLORIS.

Poenitet! et meritò. Lachrymis non illa rependur
Qua tibi magne Deus, sanguine [illegible] tuli

4. GRATITUDINIS.

Ut fuso tibi Christe, feram pro sanguine [illegible]
Nulla vitis longum, saecula tempus erunt

5. SPEI.

Spes fregit, ante oculos mea dum mihi crimina [illegible]
Cum [illegible] vulnera Christe redit.

6. AMORIS.

Mereste, Amor, felis in Christi sanguine [illegible]
Quem [illegible], hic ego laetus amem.

7. INSTITUTIONIS.

Christe mihi Dux es. Qua bella [illegible]
Si qua Dux ieris, non ego miles eam.

Ad maiorem Dei [illegible] Gloriam.

1) [illegible]

1858 [illegible]

[illegible]

2) [illegible]

1858

3) [illegible]

[illegible]

4) [illegible]

1862


THEATRUM
D.N. IESV CHRISTI
Atrociorum cruciatuum
C. Lectori Spectatori
propositum.
B.M.V. operâ in Salem
R.P.D. Caroli Stengely
Abbatis Anhusani.
MDC. LVIII.
R.C.F.


QVARE
EST INDVMENTVM TVVM
REVERENDISSIMꝰ, ET IL-
LUSTRISSIMꝰ PRINCEPS ac
Dꝰ Dˢ IOACHIMꝰ ABBAS FUL-
DENSIS, S.R.I. PRINCEPS DI-
VÆ AUGUSTÆ ARCHICAN-
CELLARIꝰ PER GERMANIAM ET
GALLIAM PRIMAS. L. BARO IM-
PERŸ DE GRAVENEGG.

REVERENDMO ET ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO D. IOACHIMO

PRIMATI PER GERMANIAM GALLIAMQVE

PRINCIPI IMPERII

IMPERATRICIS ARCHICANCELLARIO

ABBATI

INCLITÆ FVLDENSIS ECCLESIÆ DOMINO AC PATRONO CLEM.

D. D.



VIQVE animanti cognitum eſt, quemadmodùm ſuam tueatur ſalutem, inquit S. Ambroſius, *lib.6. cap.4.hex.* Canis gramine. Ceruus viperâ, Sus cancris fluuialibus, Leo ſimiarum eſu, ſibi medeantur, vt ſcribit Tatianus, Ouis citiſum, vrſus formicas, Turdus myrrham, & Caprea vulnerata dictamnum, Aper hederam, Palumbus, Merula, Perdix, Graculus, laurifolia, Accipiter hieracium, Vpupa adiantum: Miluus rhamnum, Citris ſiue alauda amaracum: Turtur gladiolum; Corui amerinam, ſalicum genus, Ardeæ cancros, Cygni viticem, Aquilæ callitrichum, Pauones radicem lini, Galli gallinacei helximen, Anates & Anſeres herbam ſideritem, Grues iuncum paluſtrem, Hircus cichorium, Elephas ſaucius oleæ flores, Hirundines chelidoniam, Teſtudo origanum, Leopardus ſanguinem capreæ ſtudioſè inquirant, quibus valetudinem reſarciant aut conſeruent.

Terræ filij quoties affici grauius, aut morbo languere cæperint ad medicamenta sua cathartica, diuretica. anodyna, ecphractica, anastomatica conuolent, vnum hoc CHRISTI morientis mnemosynon, verum pyroticum ac discussorium ceteris omnibus antecellit. Siquidem attenta & profunda CHRISTI Domini nostri Passionis meditatio tantam vim habet ad purificandum cor à suis vitijs, illudq; veritatibus ac virtutibus illustrandum, & inflammatis diuini amoris affectibus perficiendum, vt nullum malum tam sit animæ insitum, tam perniciosum, quod non curari vinciq; possit. Nulla tam detestabilis ac nefaria pestis, quam non profliget.

Panacea est composita ex omnibus ingredientibus necessarijs ad curandos animi morbos. *Mithridaticum* contra venena. *Nicotiana* contra vulnera, & ambustiones. *Dictamnus* contra tela inimici ignea. *Molij* flore albo, radice nigricans ob mysteria, contra præstigias, & illusiones diaboli. *Flos frumenti* contra morsus dipsadum. *Vinum palmæ* contra ebrietatem, quam succus Ophiusæ (*vanitatis sæculi*) inducere solet, vt optimo jure mellifluus noster S. Bernardus, cruciatibus CHRISTI contemplandis deditissimus, atq; hinc delitijs spiritualibus affluens, dicere potuerit: *Hæc meditari dixi sapientiam, ex his mihi potus salutaris amaritudinis, & suauis vnctio consolationis. Hæc me erigunt in aduersis, reprimunt in secundis. Et inter læta, tristiaq; vitæ præsentis, viâ regiâ incedenti, tutum præbent vtrobiq; ducatum.* Ea propter Dominus noster IESVS CHRISTVS, vt suæ Passionis in nos collati beneficij, perpetuò vigeret memoria, viuam spirantemq; eiusdem imaginem, diuinæ Eucharistiæ pharmacum reliquit, quod ex D. Gaudentio iuuerit audisse: *Voluit is*, inquit, *beneficia sua permanere apud nos, voluit animos pretioso sanguine suo semper sanctificari, per imaginem propriæ Passionis, quo omnes pariter fideles populi exemplar Passionis CHRISTI ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam sumentes ac pectore, redemptionis nostræ opus indelebili memoriâ teneamus, & contra venena diaboli dulcem Medicinam sempiterni tutaminis consequamur.* Vnde etiam nostra B. Gertrudis neminem vnquam CHRISTI crucifixi effigiem

oculis

oculis compassionis aspicere testabatur, quin ab ipso pietatis oculis vicissim inspiceretur. Et quidem non indiget CHRISTVS memoriâ nostrâ, etsi velit nos sui amoris, acceptorumq; beneficiorum perpetuò meminisse; optat tamen illorum recordatione, nos in sui amore, quàm maximè, incalescere. Ego itaque cùm omnem ferè ætatem sacris litterarum studijs impendissem, periodum quoque maximis CHRISTI IESV cruciatibus, Morti ac Sanguini, tantâ pro nobis copiâ effuso sacrare constitui, ac penitùs dedicare. Quid enim à me, deuexâ hac potissimùm septuaginta octo annorum ætate, vel exspectari debeat ad virtutem aptius, vel ad salutem exigi possit accommodatius, non video. Vt porrò Lectores Christianos ad hoc opus euoluendum inuitarem, necessarium esse duxi, vt appositis imaginibus elegantibus, proximâ ætate, ab excellentissimo artifice Christophoro Suarzio, Serenissimi Bauariæ Ducis Guilelmi Pij Pictore celeberrimo inuentis & depictis, liber ipse exornaretur. Quidquid verò hîc est operis, id omne Reverendissimæ & Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Nomini jure meritissimo multis nominibus obligatus dico, dedico, ascribo. Ante duodecim equidem annos exiguo licet opusculo, gratulatus sum eidem Abbatialem istam Principis dignitatem, quâ maior nec in Galliâ nec Germaniâ existit, vtpote quæ primatis titulum semper in Imperio obtinuit, vnde ante quingentos annos à Ioanne summo Pontifice, *Romanæ Ecclesiæ Fuldensis filia specialis* dicta est. Iam Iura Regalia, quæ vocant, omnem in partem latissimè fusa non attingo, quibus, si vetustiora repetamus, Imperatorum Regumq; munificentiâ, vt quisquam alius in Imperio Princeps, ita Fuldensis Ecclesiæ fuit Antistes, conspicuus.

Vnum Cancellarij Augustæ titulum commemoro, quo ante quadringentos annos emicuit. Hinc Carolus IV. Imp. diplomate An. MCCCLVIII. Henrico Abbati à Secretis sibi & Consilijs, Archicancellariatus Officium cum omnibus ijs Priuilegijs commodisque stabilit, quibus Archicancellarij Imperatricum & Reginarum vti, frui solent, illud adijciens nouum, vt

quoties Imperij Romani Auguſtam vel Reginam diademate cingi aut indui purpurâ ſolemni ritu contingeret, Abbatem tunc id habiturum muneris, vt diadema coronamue pro more deponat, manuq; teneat, & rurſum eandem vertici reddat.

Ita Rev.ma & Illuſt.ma Celſitudo Veſtra A. C. M. DC. LIII. in Comitijs Ratisbonenſibus Sereniſſimæ Eleonoræ Imperatrici Auguſtæ, Ferdinandi III. feliciſſimæ recordationis Conjugi Coronam impoſuit, ſperamus fore, vt breui tempore nouæ Imperatrici idem Officium feliciter præſtitura ſit, quod ſanè hactenus nulli ex tot Principibus anteceſſoribus ſuis obtigit.


Hic ingens aperiretur curriculum ſcriptioni meæ, ſi vellem eam per ampliſſimi Celſitudinis Veſtræ laudum campum, citrà adulationem immittere. Verùm quia Sapientis eſt, neminem in vitâ laudare: ita & Sapientis eſt: Nolle laudari, ſed laudabilia peragere. *Magnifica*, ait S. Maximus, *poſt conſummationem, illo potiſsimùm tempore merita ſanctitatis extollas, quando nec laudationem adulatio mouet, nec laudantem tentat elatio.*

In hoc imitatur Illuſtriſſimæ C. V. Virtus magnum Pontificem Clementem Octauum, qui laudes ſolebat exiſtimare jacula, & hoſtes credere laudatores. Quare laudes ipſius, quas pro modeſtiâ C. V. ferre non poteſt, contraham, & jejuna traſmittetur oratio. Viue diu ſoſpes Magne Princeps, ac Præſul, ac Tui ſerui addictiſſimi humile votum oculis propitijs dignare. Auguſtæ Vindelicorum Kal. Septemb. M. DC. LVIII.

Reverend.mæ & Illuſtriſſ.mæ Celſ. Veſtræ

Humillimus Capellanus


F. CAROLVS STENGELIVS
Abbas Anhuſanus.



PARS PRIMA.

Proœmium.

I.



Nter omnia Mysteria, in quibus CHRISTVS *Dominus noster suam nobis misericordiam & ardentissimum salutis nostræ desiderium manifestauit, eiusdemq; spem dedit præcipua sunt, quæ ad eius passionem pertinent; quamobrem quædam ad hoc propositum attingemus. Voluit humeris suis sanctissimum lignum Crucis vsq; ad Caluariæ locum portare, ibiq; clauis ei affigi, declarans per hoc voluntatem & cupiditatem, cum quâ in se suscipiebat totum onus nostrorum peccatorum, id est, omnem quam illa merebantur pænam, vt ijs nos subleuaret, & cum quâ delebat sententiam damnationis, quæ propter primi hominis peccatum contra nos lata fuerat, vt ab eâ liberi, absolutiq; remaneremus. Quanta voluntas est, quam dimittendi nobis peccata. nosq; ab æternâ damnatione idcircò promeritâ liberandi habet ille, qui ad hunc effectum tam libenter in humeros suos graue lignum crucis suscepit, eiq; affigi sustinuit, vt si opus fuisset, illud, cum tanto dolore gestare humeris, eiq; clauis affixum esse vsq; ad mundi finem, id libentissimè fecisset, & magnâ cum voluntate sustinuisset.* Desiderium Christi nos liberandi.

II. *Iam si amor humani generis quo* CHRISTVS *in nos flagrauit attendatur, occurrent quæ nos agant in stuporem. Pro vernâ iniquissimo, pro ingratissimo mancipio, pro impijssimo discipulo, vnigenitus Patris, & hæres vniuersorum, horrendos cruciatus & teterrimam mortem, admisit lubens. Idem amor cum ad tam multa tribunalia, demumq; ad Crucem magnâ cum pernicitate, ac gaudio tendere fecit. Hinc super omnia incendi oportere* *Taulerus de passione cap. 29.*

Serm. 20. in Cant. *amorem nostrum, tradit egregiè noster S. Bernardus. Propositis enim varijs causis Dei in nos amorem excitare idoneis, subdit*: Pro his ergò ita sum amans te quantum possum. Sed est, quod me plus vrget, plus accendit; supra omnia, inquam, reddit amabilem te mihi IESV bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis, hoc omninò Amorem nostrum facilè vindicat. Hoc inquam est, quod nostram deuotionem & blandiùs allicitet, justiùs exigit, & rectiùs stringit, & afficit vehementiùs: Multum quidem laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabricâ tantum fatigationis auctor assumpsit. Ille deniq; dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt; at verò hîc & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. Adde quod hanc ipsam dilectionem non reddidit, sed addidit. Nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei: sed vt sanctus Ioannes Euangelista ait: *Non quia nos dilexeramus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.* Deniq; dilexit nos existentes, sed adiecit & resistentes diligere, juxta Pauli testimonium dicentis, quoniam cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Alioquin si non dilexisset inimicos, nondum possedisset amicos, sicut necdum quos sic diligeret essent, si non dilexisset qui nondum essent; dilexit autem dulciter, sapienter, fortiter.



CAPVT



CAPVT I.

Egressus IESVS cum Discipulis suis trans Torrentem Cedron.

I.

QVò properas dulcissimè IESV? patraturus mirabile orbis opus quo totum mundum liberes malis. Funestæ struuntur insidiæ mors capiti tuo paratur. Iudas sanguinarius exspectat; subis vltimam fortunam tuæ vitæ. *Me labor citat*, ait IESVS *& amor tui*, *ambis vincula*, *vt tua meis soluam*. *Carcer exspectat? hunc expeto, vt te æterno carcere liberem*. Trahêris in ludibrium, consputaberis, colaphis cæderis, patieris quidquid rabies & furor suggeret. *Bene est*, *bene habet*, *indurata fortè peccatorum pectora mollescent*, *& fringentur*, *vbi me funestatum*, *me DEI filium spectarint deformatum*. Rapieris ad lanienam, ad infandam Crucem. *Hanc ipsam volo*, *& exosculor*, *ideò Patrem*, *& regnum deserui meum*: *exui me vestibus & diademate*, *hac ipsâ de causâ*: *tanta est enormitas peccati*.

Colloquium hominis cum Christo.

Promptitudo IESV ad patiendum.

II. Egrederis: at quo fructu? quàm exiguo nouit sua Majestas, quam nihil latet. Mors non lachrymas impijs, sed risus pariet; tuus sanguis fundetur, & calcabitur. Pro quo properas ad mortem? pro ingrato? immerso vitijs? mancipio libidinum? *Tale exemplum necessitas exigit. Suffecerit mihi aliquot animarum lucrum*; *tanti mihi est vna anima*: *cùm omnes non possim redimere*, *suffecerit Patri meo paruisse*: vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mundatum dedit mihi Pater, sic facio.

Ioan. 14. *Vers.* 31.

III. Ecce tibi Codrus Rex Atheniensium, qui vt oraculo didicit, suos ciues saluos suâ morte futuros, positis Regis insignibus in prælium irruit, & se morti deuouit. Tantus amor Patriæ? Et nos dubitamus pro animâ nostrâ mori? Egressus est CHRISTVS trans torrentem Cedron, qui inter ciuitatem & hortum transit, ad radicem montis Olиueti, distans ab vrbe quinq; stadijs. Ibi ingressus hortum Gethsemani: vbi fluere incipient omnes fontes misericordiæ. Oliua enim significat misericordiam. Et

Codrus figura Christi.

In horto exilium, in horto salus.

quia in horto commissum est duellum summæ calamitatis, in horto peragatur duellum felicitatis futuræ : in horto concidit justitia, in horto detur prolapsæ restitutio.

IV. CHRISTVS ergò pergit ad hortum, non voluptatis, non deliciarum, sed dolorum & mærorum, vt primi Adami eneruet, castigetq; voluptatem atq; delitias. *Hortus*, ait Cyrillus, *erat Paradisi locum designans: vt in horto malorum initium factum est; sic in horto CHRISTI passio incipit, per quam à malis liberati, in pristinum statum restituti sumus.* In horto ruina: in horto reparatio. Vicit dæmon hominem in horto: vicit dæmonem CHRISTVS in horto. In horto fædus initum cum dæmone; in horto fuit dissoluendum. In horto homo superbissimus appetijt Diuinitatem; in horto DEVS homo humillimus appetijt summam vilitatem. In horto pestis lethalis contracta ; in horto sudatur ad pestis profligationem. In horto vita exstincta; in horto cæpit nasci, restituiq;. In horto vita sepulta, vt in horto mors sepeliatur, & vita resurgat. Primus ergò Adam in horto exuit libertatem; & Filius DEI, vt libertatem restituat, se voluit instar serui vinciri.

lib. 2. in Ioan. 31.

CAPVT II.

Sudor sanguineus IESV vnde ?

I.

CHRISTVS sicut totum hominem saluum fecit, ita totum se & corpore, & animo hostiam fecit, juxta S. Bernardum. Itaq; cogitare subit, CHRISTVM Dominum qualem eum effinxit Isaias, *Virum Dolorum* specie, inquam, hominis compacti, cuius & anima & omnia corporis membra, sint non modò dolore perlita, sed etiam ita perfossa, vt in dolorem quadantenus transierint.

Serm. 3 in ramis pal.

Christus vir dolorum.

II. Anima CHRISTI, in tempore de quo agimus, ex solâ dolorum inferendorum prospectione. Nam juxta Nazianzenum, *quod quis pati extimuit hoc passus est.* Itaq; cogitatione præsentiens tantos dolores CHRISTVS, eosq; simul omnes præconcipiens, & meritissimo timens, multò plura passus videri potest, quam cum inferebantur reipsâ singuli. Hunc dolorem animæ CHRISTI, acerbissimum & acerrimum, volo secerni à tristitiâ volun-

Sudor sanguineus vnde ?

Orat. 2. in Iul.

voluntatem superiorem occupante, ex obiectis tristibus per rationem superiorem exhibitis. Dolor enim animæ CHRISTI, de quo nunc agimus, per appetitum sensitiuum prælucente phanthasiâ expromebatur, & redundantiâ tristitiæ, illius superiorem voluntatem quasi mergentis. Dolor animæ Christi qualis.

III. Quare sanguineum CHRISTI sudorem pleriq; in summam cordis mæstitudinem refundunt, quamquam ipsius tristitiæ, varias, diuersasq; caussas assignant. Verùm & mæror, & tremor sanguinem intùs adigunt ad cor propellentes: siquidem, vt peritè Conimbricenses; calor, seu potius sanguis, & spiritus, quo velut essedo sanguis vehitur in diuersas corporis regiones, tristitiâ dominante ad cor defertur, verecundia in faciem projectat, gaudium in cutem: igitur mærori non fuerit tribuendum, quod sanguis se diffuderit, & per cutem exierit: Quamobrem venustè illi, & philosophicè ædepol, quibus sententia, exordia orationis sub tristitijs, & angoribus fuisse, tum verò adactum cruorem interiùs, ad refocillandum cor; posteà succedentibus amoris affectibus extractum eundem sanguinem ad corporis superficiem, facilè ostia reperisse, quibus prosiliret: sic Bartholomæus de Medinâ, Barradas, Raymundus, Franciscus Lucas; Suatius & Tannerus fortitudini assignant: At quisnam Amoris actus, complacentiæ an desiderij, an fruitionis? Ioannes Gerson, gaudij fuisse arbitratus est; sed nihil tunc præsens, neq; enim adhuc vel executũ Patris mandatum de sustinendâ Cruce, vel reportata de Principibus tenebrarum victoria, vel conuersa Nationum multitudo derelictis idolis: sed tamen hæc quamquam physicè non existerent, moraliter tamen existebant, quatenus CHRISTI Anima scientiâ certâ & infallibili cognoscebat extitura; quæ moralis certitudo gaudio parem effectum caussare poterat; gaudio autem admisso, optimè quod sanguis in cutem prosilierit, nam gaudij est ita commouere: Quod autem tam vehemens siue tristitiæ, seu gaudij affectus mortem non peperit, saltem defectionem spiritus, sensuum tenebras atq; noctem, supernæ & mirabili virtuti concedendum fuerit.

Vnde sanguineus Christi sudor.

De Vitâ & morte c. 8.

Gers. de Pass text. 2

IV. Quid animi affectus iuuent ad corpus alterandum CHRISTI Seruatoris sudor sanguineus edocet, de quo Lucas: *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ac planè fuit naturalis ille sudor, alioquin vt quid præcesserint Angustiæ, & mæror? *Luc. 22. Vers. 44.*

Sudor Christi in horto sanguineus, fuit naturalis.

Sua tract. 255. in Lu. Lib. 2. c. 11. de Hydron. nat.

& mæror? aut quorſum ijs cauſſis Doctores communiter tribuerint, cùm ſi per miracula eliciendus ſudor, absq; triſtitijs, & labore fieri poſſit? Cui placito adhærent complures Doctores: à quibus varia eaq; recentia exempla afferuntur, quibus demonſtrent: Affert ſui temporis vnum Ioannes Suarius Conimbricenſis Antiſtes: multaq; congerit Iulius Cæſar Baricellus Medicus. Equidem, quod luctam procul dubio terribilem, tantoſque Animi angores, mors non ſit conſequuta, aut ſaltem valetudinis diſpendia inde nata, miraculo ſi quis adſcripſerit, habebit qui vnà ſentiant Suarium, atq; Tannerum: at quòd cruor ſtillauerit, cùm tot experientiæ edoceant, ſecundùm naturam contingere potuiſſe ad miracula haud eſt confugiendum, ſed qua cauſſa nouo & inſolito ſpectaculo?

Corporis Christi dolores.

V. Corporis verò dolor, ex totidem partibus compingendus eſt, quot fuerant in corpore CHRISTI partes, à plantâ pedis, vſque ad verticem capitis. Nullum enim fuit membrum doloris expers, quandoquidem nullum fuit grauiſſimo cruciatu vacuum. Caput Spinæ lacerarunt, vultus ſputis oneratus, maxillæ ac genæ alapis ac pugnis contuſæ, artus claui foderunt, totū corpus flagella exararunt, & horrendis vibicibus deformarunt. Nullus ſenſus immunis abijt, oculis, triſtiſſima ſpecies obſeruata eſt; auribus inſonuêre fœdiſſima opprobria & maledicta: Nares fœtore excruciatæ, Guſtui fel & Acetum crudeliter admotum, in ſummâ ſiti & immanibus angonibus. Tactus toto corpore excarnificato, diriſſimè habitus, & nominatim in partibus quas confluxus venarum faciebat acerrimi ſenſus. Nulla itaq; pars corporis CHRISTI fuit doloris expers; imò omnes acerrimè ſunt excruciatæ; ſiquidem tanta & tam grauia ſuſtinuit, vt nullus vnquam dolor fuerit ſicut dolor eius; acerbior fuit, & exceſſit dolores omnium hominum quos ab initio ſæculi vſq; ad finem eius paſſuri erant.

CAPVT III.

IESVS pronus cadens in terram, orauit Patrem.

I.

IOſaphat Rex Iuda congregatâ ad eum multitudine hoſtium, filiorum ſcilicet, Moab & Amon, timore perterritus, timens ac

pauens

pauens hanc multitudinem, pronus cecidit in terram coram Domino, totumq; ſe contulit ad rogandum Dominum, vt de hoſtium manu poſſit liberari. Impleuit hoc Rex noſter CHRISTVS Dominus, qui ſciens congregari contra ſe multitudinem gentium & Iudæorum, qui eum comprehenſuri erant, qui multas ei irrogarent injurias, ipſamque ei mortem inferrent, quàm deuotiſſimè (triſtis tamen pauensq;) ad Patrem ſe contulit, eum, vt tribulationum & mortis calicem euadere poſſet, rogaturus. *Poſitis*, ait Lucas, *genibus*, ſecundum Marcum, *procidit ſuper terram*, & vt habet Matthæus; *in faciem ſuam*.

II. Credibile eſt CHRISTVM, primò poſuiſſe, id eſt, flexiſſe humi genua, corporis ſuperiore parte manente erectâ, ac deinde, deficientibus præ teneritudine triſtitiaq; viribus corporis, & orationis creſcente feruore, ipſum etiam corpus in terram dejeciſſe, & pronum in faciem corruiſſe, vt in ſecretis orationibus à deuotis ſolet obſeruari. Chriſti ſitus in oratione.

III. CHRISTVS itaq; per orationem deſtinaturus ad Patrem tanti momenti ſupplicationem, vt ab eâ totius mundi ſalus dependeret, ſupplicantium etiam ritus ſeruarentur, & primò *genua* flexit, ſine dubio capite inclinato, & in terram vultu deflexo: ſic ſtatum inſinuans humani generis, cuius cauſa agebatur. Poſitis ergò genibus, *procidit ſuper terram*. Terrenos enim, ait de Caſsiâ, cæleſtis venerat liberare. Procidit ſuper terram, quia de terrâ terram humanitatis aſſumpſerat, quam de terrâ ipſe cæleſtis venerat erepturus. Procidit ſuper terram, vt maledictio terminaretur Adæ, quia dictum erat: *Terra es, & in terram ibis*. Merito enim ſuæ paſſionis, amiſſum imortalitatis donum recuperauit.

IV. Deinde *procidit ſuper terram*, tanquam mediator inter terram ſiue homines ſuper eam habitantes, & Deum Patrem, qui ob peccata irratus, homines cum terrâ perdere diſponebat; Quod ne fieret CHRISTVS Dominus humiliter ſe medium obiecit, vt eos protegeret, & incolumes conſeruaret. Et quia terra etiam ipſa jam olim erat maledicta à Deo, hoc ſacri Corporis ſui contactu, gratiam benedictionis voluit impartiri. Deinde terram ſic complectens, ex ardenti pro nobis patiendi deſiderio, videtur quaſi gratias illi referre quod procreauerat funes, qui eum ligaturi erant, Spinas quæ caput lancinarent, arundinem, quæ in manu daretur, clauos & lanceam, quæ pedes manusq; transfigerent ac perforarent. In terram cur ceciderit.

Orationis conditiones V. Voluit insuper CHRISTVS hoc humili sui corporis situ nobis commendare vnam non ex minimis conditionibus bonæ & efficacis orationis, nempè humilitatem & reuerentiam non animi tantùm, sed etiam externo corporis habitu exhibendam: Eccl. 35. siquidem *Oratio humiliantis se penetrat nubes*, ait Sapiens: *Re enim vera*, (ait magnum Canonicorum Regularium decus & ornamentum, Venetorum ProtoPatriarcha S. Laurentius Iustinianus, cuius aurea scripta semper maximi feci & adhuc exosculor) *quum oras assistis DEO, & cum omnipotente loqueris, si tamen non inaniter oras. Quis non paueat assistentiam Maiestatis? Quis Diuinam non vereatur præsentiam? Quis Domini sui non timeat displicere conspectus! Quamobrem cum oras, cum preces fundis Altissimo, diligenter intende. Quis? Cui? Nec alterum diuidas ab altero. Hæc duo simul juncta, humilitatem docent, congregant mentem, phantasmata propulsant, orationem ornant, flectunt Deum, compungunt animam, & exaudibilem efficiunt deprecantem. Non erit difficile, tibi etiam prostratus solo, lingere terram, si Dei tuiq; cum oraueris, habebis notitiam. Non autem aliunde arbitror cordis in oratione euenire duritiam, mentisq; effusionem, quam ab ignotitiâ horum. Si consideras quantam mortalibus in sublimi fastigio positis reuerentiam exhibes, asseuerabilis verum esse quod fateor. Dissuesce, inquam, magis hominibus deferre quàm DEO.*

Reg. c. 20. VI. Hac de re etiam S. P. N. Benedictus: *Si*, inquit, *cùm hominibus potentibus volumus aliqua suggerere non præsumimus, nisi cum humilitate & reuerentiâ, quanto magis Domino DEO vniuersorum, cum omni humilitate & reuerentiâ; & puritatis deuotione supplicandum est?* Mellifluus quoq; noster S. Bernardus: *Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam Propheticum illud: introibo*, ingredior, in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum DEI, *omninò siquidem oportet nos orationis tempore, curiam intrare cælestem, illam vtiq; curiam in quâ Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Vnde & ipse qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit:* Millia, *ait*, Millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. *Quantâ ergò cum Reuerentiâ, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet, à palude suâ procedens & repens ranuncula vilis? Quàm timebundus, quàm supplex, quàm deniq; humilis & sollicitus, & toto intento animo, Maiestati gloriæ in præsentiâ Angelo-*

Angelorum, in Concilio justorum & congregatione assistere poterit miser homuncio.

VII. Adeò præualuit ea quæ fortis est vt mors dilectio, vt CHRISTVM Angelus DEI confortauerit. Quis? quem? Euangelistam audi: *Apparuit*, inquit, *Angelus confortans eum.* Quem, *eum*? Planè eum, cui nascituro clausus patuit virginis vterus, cuius nutu in vinum aqua mutata est; cuius tactu lepra fugata, sub cuius plantis, solidum mare stetit; ad cuius vocem mortui surrexerunt, denique eum, qui portat omnia verbo virtutis suæ, per quem facta sunt omnia, per quem vniuersa subsistunt, etiam & Angelus ipse. Et quid dicam? Quem *eum*? Minus enim mirarer si non penitus esset indicibilis. *Confortauit eum*; Quem *eum*? cuius ne ipse quidem confortator suus capere poterat majestatem. Rogo te Angele, quem consolaris? An ignorabas quis esset, ad quem consolandum veniebas? Certè consolator est, certè paracletus est: alioquin non diceret, *alium paracletum à Patre mittendum* Apostolis, si non esset & ipse paracletus. Deniq agnosco & hoc in ipso, paracletum maximum, agnosco paracletum benignissimum, qui propè fit his, qui tribulato sunt corde. Non despero jam Domine, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio quam patior: etiamsi pusillanimis sum, etiamsi desidero, vt transferatur calix à me, non despero, inquam, dummodò audiam ipse; *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Didici etiam ex hoc non ad carnalem siue caducam recurrere cosolationem, sed ad Angelicam, sed ad spiritualem, id est, ad cælestem. Ita planè, dumodo non murmurem. Sed enim penitùs separarer à te, si non citiùs resipiscerem. Non renuo, etiam si opus habeo consolari. Quid enim? Agnosco vocem meam in Saluatore, & de salute desperem? Planè in patientiâ meâ possidebo animam meam.

S. Bern. ser. 1. de S. Andr.
Christus ab Angelo confortatur.

Elogium R. P. Bomplarij S.I.

Angele disce
Ignotum Angelis Mysterium
Procidit super terram DEI filius
Vt cælum sustineat,
Nonnisi cadente DEI prole
Stat domus DEI.

Sanguine ſudat vultus DEI;
Vt in ſudore vultus ſui
Veſcatur pane ſuo DEVS.
Panis DEI, voluntas DEI eſt.
Diſce tu quoq; mortalis
Ignotum mortalibus documentum,
Voluptatis pœna ſanguis eſt:
Niſi peccaſſet
In horto voluptatis homo,
Non funderet ſanguinem
In horto Gethſemani DEVS.

CAPVT IV.

Deſcriptio viæ Captiuitatis.

I.

Via ad montem Olíueti. EXtra muros ſanctæ ciuitatis in plagâ orientali eſt ſemita ſiue via, quâ è ſacro cænaculo montis Sion itur ad Gethſemani villam, ad montem Oliueti, & locum orationis CHRISTI Domini, & ex iſto ad idem cænaculum & domum Caiphæ illi proximam reditur & ſemper juxta vallem Ioſaphat. Appellatur *via captiuitatis*, quoniam in eâ CHRISTVS Dominus pro peccatis noſtris captus eſt, & ligatus ab impijs hominibus, & vt aliquis ſceleratus, ductus fuit ad iniquorum hominum tribunalia, Annæ, Caiphæ, & ab Caiphâ deinde ad Pilatum.

Vallis Ioſaphat. II. Primus locus, qui ſe offert in hac viâ, eſt *vallis Ioſaphat*, quæ eſt longa, lata & ſpatioſa vallis, quæ totam ciuitatem Ieruſalem ab eius orientali plagâ cingit, & partim etiam ab Auſtro. Varijs nominibus appellatur, vt *vallis Cedron*, *vallis montium*, *vallis Siloe*, *vallis benedictionis*, *vallis Gehennon*, & deniq; *vallis Ioſaphat* frequentiùs, & *conciſionis* aliquando.

Torrens Cedron. III. Secundus locus eſt *Torrens Cedron*, nempe riuus ad orientem Ieruſalem, inter ipſam & montem Oliueti, qui pluuialibus aquis vndiq; de montibus, nec non ex fontibus ac piſcinis auctus, dulci quodam ſtrepitu per mediam vallem Ioſaphat atq; Gehennon, perq; plana deſerti in mare mortuum fluens abſorbetur.

betur. In cuius vtraq; ripà multæ, densæ, ac fructiferæ, crescunt arbores: quarum amæna facies, vnà cum vicinis hortis, qui limpidissimis aquis Cedron irrigabantur, obambulantium oculos animumq; amænabat.

IV. Tertius locus est, *Gethsemani* villa inter Ierusalem & montem Oliueti, in quâ erat hortus, locus arboribus consitus, voluptatis gratià comparatus. Illuc ingressus CHRISTVS jussit octo ex Discipulis in certo quodam loco consistere. Hic locus est juxta viam *Gethsemani*, in læuâ parte, signatâ humili & demissâ macerie, & est quartus *memorabilis via Captiuitatis.* Ex isto loco assumptis secum Petro, Iacobo & Ioanne, ingressus eiusdem villæ hortum, & ostenso dolore & tristitiâ quâ angebatur, cùm ad certum locum peruenisset, (qui est *quartus* veneratione dignus in viâ ista *Captiuitatis*) dixit illis: *sustinete hic, & vigilate mecum.* Gethsemani

V. Locus iste est ad radices montis Oliueti à dextro latere horti, vbi est magna, dura, & eleuata rupes, quæ pro signo mansionis & quietis dictorum trium Apostolorum monstratur, eoq; intuitu à fidelibus inuisitur & honoratur: Frater Brocardus de isto loco loquens, quædam etiam mirabilia recenset in hunc modum: *In superficie vallis. Iosaphat est ædificium modicum quasi vnius Capellæ, quod postquam quis intrauerit, oportet per gradus in Ecclesiam sepulchri* B. MARIÆ *Virginis, descendere ad sepulchrum B. Virginis. Iuxta hanc Capellam ferè ad viginti pedes est alia Capella, quæ vocatur Gethsemani, in latere montis Oliueti adhærens rupi, sub quâ, Apostoli erant somno grauati: & ostenduntur adhuc ibidem eorum sessiones in lapide, & locus Captiuitatis IESV CHRISTI impressio Caluariæ eius superius in rupe & lineamenta verticis & Capillorum, & in lapide alio impressio digitorum eius: quam impressionem dicitur fecisse lapidem apprehendendo cùm caperetur à ministris. Et mirum valdè quod de ipso lapide nec puluis, vt ita dicam, vllo malleo, aut alio instrumento deponi potest, tamen in eo ita planè apparet impressio dulcis IESV digitorum, ac si butyreus fuisset lapis ille.* In præsentiâ nulla Capellula, neq; memorata miracula cernuntur. Locus in quo octo Discipuli relicti.

VI. Ex memorato loco auulsus, à Discipulis suis IESVS quantum jactus est lapidis, inquit S. Lucas, intrauit in locum vbi Patrem orauit, ex quo tribus vicibus rediit ad excitandum dormientes Discipulos ad vigilandum in oratione, illos commonefaciens & arguens, singulariter Petrum, futurum Ecclesiæ Pa- Locus vbi orauit Christus.

 storem,

Matt. 26. 40. ſtorem, dulci reprehenſio ne, dicens: *Sic non potuiſtis vna horâ vigilare mecum. Locus iſte*, inquit Adricomius, *diſtat à loco orationis ſito ad radices Oliueti ad jactum lapidis, à ſepulchro* B. MARIÆ *Virginis in valle Ioſaphat greſſus quinquaginta, à loco verò vbi octo reliquit, vlnis triginta quatuor.*

VII. Sextus locus ille eſt in quo CHRISTVS Dominus tempore ſuæ paſſionis orauit, & ſanguinem ſudauit. Diſtat locus iſte ab alio, vbi tres vltimos reliquit Apoſtolos, *quantum jactus eſt lapidis*, vt inquit S. Lucas: Quò cùm perueniſſet, poſitis genibus, ſemel & iterum, tertioq; Patrem orauit, vt *ſi fieri poſſet*, ſaluâ nihil ominus ſemper eius ſanctâ voluntate, *tranſiret ab eo Calix* paſſionis. Et factus in agoniâ prolixiùs orans, factus eſt ſudor eius velut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, in quâ agoniâ & prolixâ oratione apparuit ei Angelus Domini confortans eum. Et ab oratione ſemel & iterum, charitatis ſtimulis incitatus, abijt ad Diſcipulos ſuos ſomno deditos, datis eis ſalutis monitis, vt inuigilarent & orationi inſiſterent, ne tentationi ſuccumberent.

VIII. Siquidem orante CHRISTO ad Genitorem, vt ſi fieri poſſet tranſiret ab eo Calix, paululùm interruptis precibus ſurrexit, & venit ad Diſcipulos, quos cùm à ſomno victos animaduerteret, dicit Petro: *ſic non potuiſtis vnâ horâ vigilare mecum?* ſubtilis & grauida vox reprehenſionis: *vigilare mecum*; ſcilicet priuſquam hæc contingerent loquutus ad eos inquiens: *venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Nam quid in eo reperiret, quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, in cuius ore non eſt inuentus dolus, qui peccare non potuit; Non erat igitur vt dæmonem metuere aliquo modo filius Altiſſimi deberet: Quid autem Apoſtoli? labi poterant, criminibus fædari, gratiam quæ juſtificat amittere, vt Petrus ſuâ ruinâ, eâdem comprobauit nocte, & monuit impendentium inſidiarum Dominus cum tempore ſermone ad Petrum conuerſo: Simon Simon: *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.* Iam igitur dictionis illius manifeſtatur vehementia; *ſic non potuiſtis vnâ horâ vigilare mecum?* etiamſi mille noctibus vigilandum eſſet, oportebat naturam vincere, & oculos nunquam clauſiſſe, quanto magis vnâ tantùm horulâ, breuiſſimo interuallo? *Vigilare mecum?* Equidem non quietis hora iſta, ſed vigiliarum, nam aduerſus tentationem, periodumq; malorum expergefactos eſſe decebat, quonam igitur modo

Matt. 26. 40. Ioan. 14. 30. De vigiliâ grauiſſimè monet Apoſtolos Chriſtus ob imminentia mala ſub Paſſionis ſuæ tempus. Luc. 22. 31.

modo oculi clauduntur, & quasi stertunt? *Et ipse auusus est ab eis quantum jactus est lapidis.* O breuem separationis distantiam! & tamen cùm non longè abesset Imperator; in omni legione fortissimi milites marcido sopore languent, jacent in terris prostrata; velut semimortua cadauera, non vicinum pugnæ classicum, non inimicorum ad cædem rabies commouere valet. *Quoties redis ad nos*, inquit Drogus Hostiensis, *& inuenis dormientes, & tamen benignè suscitas nos, & iterum abis secundò, & tertiò eundem sermonem dicens? statim autem vt recesseris, iterum somnus occupat nos, nec vigilare possumus, nisi quamdiu nobiscum es, & suscitas nos.* *Luc. 22. 41.* *De sacra Dom. Pass.*

IX. Locus iste est magnum & illustre antrum, quod potuit esse vel sepulchrum, vel vetus cisterna sine aquâ ad radices montis Olueti, tota in rupe excisa, prope vallem Iosaphat, in eius Aquilonari extremitate. Fornix illius tribus fulcitur rudibus pilis, vt videtur, in eadem rupe excisis. Est in eius superiori parte cauum circularis figuræ, quod fortè fuit os cisternæ, vel sanè factum pro fenestra, vt ex hac parte jam in Ecclesiam conuersâ illuminaretur. Longitudo est palmarum triginta octo, eiusdem verò latitudo est viginti octo, ex parte vallis Iosaphat & Sepulchri B. Virg. MARIÆ est ostium, per quod nouem gradibus descendendo sanctum locum ingredimur, è cuius regione est porta in templo sepulchri sanctissimæ Deiparæ, ex quâ fortè alias huc veniebatur. Hoc tempore clausa est. Erant olim picturæ, & adhuc pictæ stellæ apparent in fornice, in eius orientali parte est altare, è cuius regione CHRISTVM IESVM summum sacerdotem orasse, & ab Angelo confortatum fuisse, pia istarum partium habet traditio. Descriptio loci illius. Arbor mirabilis ex sanguine Christi.

IX. Scribit Hegesippus Apostolorum Discipulus, rigatione sanguinis ex corpore CHRISTI in horto decidentis arborem erupisse, cuius singula folia hanc habebant inscriptionem: *O mors, quam amara est memoria tua.*

CAPVT V.

De loco vbi Iudas IESVM prodidit.

I.

SEptimus locus *via captiuitatis*, est ille vbi CHRISTVS Dominus à Iuda Iscariote osculo proditus, & ab impijs Satellitibus captus, & vt malefactor quispiam ligatus fuit. Siquidem desiderio patiendi, hîc obuium se dedit, Iudæ & Ministris præsidis,

qui ad

qui ad eum comprehendendum, cum facibus, laternis & armis venerant, hîc ab ilis petijt quid quærerent, eosq; se IESVM Nazarenum quærere dicentes, & ex accepto responso, *Ego sum*, diuinâ vi prostratos & corruentes erexit. Hic Iudas osculo tradit CHRISTVM in manus peccatorum. Hic impius & scelestus ille discipulus à clementi & benignissimo Magistro suauiter reprehensus, & vt ad meliorem se frugem reciperet, & peccati pæni-
Matt. 26. 50. teret, mitissimè admonitus fuit hisce verbis: *Amice ad quid venisti? & Iuda osculo Filium hominis tradis.* Hîc fortissimus altissi-
Luc. 22. 48. musq; DEVS depressit & humiliauit se & velut latronem vinciri se, & instar vermis conculcari permisit, factus opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Psal. 54. v. 13. 14. & 15. II. Sic CHRISTVS nomine Dauid conqueritur: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;. Aut si qui oderat me, super me magna locutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus: qui simul meum dulces capiebas cibos, in domo DEI ambulauimus cum consensu. Veniat mors super illos, &c.* Hæc de Iudâ proditore, à CHRISTO antedicta, magno consensu tradunt Commentatores. Sed vide quanta amicitiæ signa in Iudam CHRISTVS ostenderit; *Homo vnanimis*, dicitur; Symmachus: *Eorumdem morum, familiaris meus & notus.* Illud autem, *simul mecum dulces capiebas cibos*, alij exscribunt, *Dulces faciebas cibos.* Addit Hesychius in Catenâ: *Solus enim cum IESV intingebat manum in catino.* Iudas, inquam, charioris amicitiæ infidus proditor. Verùm non sine magnâ emphasi huius querelæ sermo est defectiuus; præcesserat enim, *si*
Quam amice Christus Iudam tractauerit. Marci I. v. 20. *inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;.* Cùm autem amicus sic familiaris tam infide in me sæuierit, videtur supplendum. Sustineri non potest, quod Græci Patres in Commentario notanter aduertant, sic fati: *Si inimicus meus maledixisset mihi,*
An Iudæ proditor fuerit in passione omnium cruciamentorum molestissima? *sustinuissem vtiq;.* Tu verò, &c. *Per eclipsin enim & sublimis phrasis est, consequentiam requirens. Deficit enim illud, non sustinuissem. Omnium enim molestissimum videtur, si vir familiaris & contubernalis patret ea, quæ hostium sunt & inimicorum. Accuratè autem hæc in proditorem quadrabunt, quandoquidem etiam Symmachus familiarem pro duce exposuit.* Altâ igitur reticentiâ sacer Scriptor omisit, *Non sustinuissem*; agebat enim de CHRISTI Dei passione. In quâ etsi saginari molestiarum patientiâ voluit: *at omnium molestissimum videtur, si vt familiaris patret ea, quæ hostium sunt.* III. Co-

III. *Cohors ergò, Tribunus & ministri Iudæorum* comprehenderunt IESVM sponte se eisdem permittentem, qui sine, nec sine, nec minimo licio eum detinere potuissent: cùm ecce jam vinciuntur regiæ illæ manus, illæ mirificæ, illæ salutares, illæ molitione rerum, illæ sceptro diuinitatis illustres, corpus diuinitatis sedes atq; domicilium funibus circumdatur, catenam insuper collo eius inijciunt, quâ velut sacer homo, aut ferale mancipium ad exitium trahatur, ita in cæteris noster S. Bernardus meditatur: *Præter validissimos*, inquiens, *funes, cathenas insuper ferreas eius collo, corporiq; reliquo circumiecerunt, vt Iudæ proditoris consilium tantè accuratius exsequerentur.* Scribit Ægidius Corneus. Cathenas hasce à B. Ludouico Francorum Rege olim redemptas, ac Parisios in sacrum Sacellum illatas esse. Captiuitas Christi. *De antiq. Paris. c. 13* Cathenæ Christi Parisijs.

IV. His itaq; constrictus per torrentem Cedron canis instar raptum innuit Dauid, cum dicit: *De torrente in viâ bibet*, vt Auctor est Hieronymus, cum Cypriano, vbi in rupe, cui in transitu allisus fuit, etiamnum manuum eius, & funium quibus ligatus erat, teste Arandâ, vestigia apparent, & à peregrinis magnâ pietate coluntur. *Psal 109.* Vestigia Christi in rupe Cedron

V. Mala vincula Iudæorum, exclamat Ambrosius: *quibus non tam CHRISTVM ligant, quàm seipsos alligant*: Porrò ad vniuersam hanc CHRISTI Domini nostri ac Saluatoris captiuitatem quod spectat, fuisse eam dudum antè Prophetis præcognitam, liquet ex Hieremiâ, vbi in hunc modum is legitur fuisse lamentatus: *Spiritus oris nostri CHRISTVS Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in vmbrâ tuâ viuemus.* Quæ verba licet nonnulli de Rege Iosiâ ab hostibus capto interpretantur, alij verò de Sedechiâ Rege, quem Chaldæi catenis vinctum in Babylonem abduxerunt; communis tamen SS. PP. sensus in CHRISTVM Dominum incumbit, quos inter vnus S. Ambrosius, multorum explebit nomina, cùm dicit; *Quid hoc manifestius, quando & nomen CHRISTI expressum est, & comprehensio inter manus persequentium perfidorum declarata est, & vmbra viuificans, & gratia egentibus conferenda descripta est.* Rectè id quidem: licet enim CHRISTI nomen prædictis verbis expressum, commune Regibus videatur, ex eo quod vnctum significet, ijq; tunc passim oleo vingerentur, Regum tamen nullus per vniuersam Scripturam *CHRISTVS Dominus*, sed *CHRISTVS Domini* vocatus inuenitur. *4. Thren. 20.* Reges Christi Domini vocati.

VI. Gaudebant equidem teterrimi gladiatores gemente cælo, ſuis vinculis obſeſſas manus aureas, ſceptro inclytas, aſtrorum artifices, rerum omnium molitrices: contra. Lugebant Diſcipuli, dum auguſtiſſimum cæli numen præda fieret ſicariorum, quibus pro nihilo erat vexare probris, & maledictis Inceſſere innocentem: quo factum eſt, vt altera illa apud Ezechielem Prophetia impleretur, quæ dicit: *Et tu fili hominis; ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in eis*, ſiue, vt vertit Syrus & Arabs: *Iniectæ ſunt ſuper te catenæ*, à vicinis ſceleratis & familiaribus tuis: quæ omnia hic in apertum veritatis campum ex vmbrâ producta ſunt.

Ezech. 3. v. 25.

Malcho auricula abſcinditur à Petro.

VII. Circa hunc locum à latere dextro, è regione alterius trium Apoſtolorum, vt piè creditur, Petrus Domini ac Magiſtri ſui zelatus honorem, Malcho, qui fuit vnus ex miniſtris, & fortè audacior & inſolentior, abſcidit auriculam dexteram, quæ eidem à CHRISTO Domino miraculosè reſtituta fuit. Hic Diſcipuli omnes vinctum Magiſtrum deſeruerunt, atq; inde velut oues errantes, percuſſo paſtore, variè diſperſi ſunt. Hic etiam Adoleſcens quidam amictus ſindone ſuper nudum, cùm teneretur, eâ relictâ aufugit. Ex hoc deniq; loco IESVS, catenis & funibus vt viliſſimum mancipium ab impijs ligatus, pugnis, alapis, & extruſionibus diuexatus, morte tandem plectendus, ad tribunalia hominum peccatorum ducitur.

Chriſtus in horto cur captus.
Ad c. 18. Ioan.

VIII. In horto Gethſemani voluit comprehendi CHRISTVS ab his, qui ad eum, tanquam ad latronem, exierant; & non potiùs in domo illius, apud quem Paſcha fecit; an, quia protoplaſti in horto, & ſe, & poſteros damnarunt, atq; conueniebat ex horto quoq; malorum remedium prodire, vnde læſio emanarat? Ita ſanè Gloſſæ ordinariæ Auctor: *In horto capitur, vt deleret peccatum commiſſum in horto deliciarum, in quem huius ſæculi torrentem tranſiens Diſcipulos introduxit.* An ne crearet periculum domus poſſeſſori & hoſpiti fuiſſet oneroſus. Mihi illa cæteris potior cauſſa. Erat cœnaculum illud, quo nuptiæ euchariſtiales coagmentatæ ſunt: ibi celebratum conuiuium illud *pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*, pignus pacis, & duraturæ reconciliationis. Quoniam igitur, quæ CHRISTVM comprehenſura erat *turba multa cum gladijs & fuſtibus*, ventura fuerat, belli & diſcordiarum non dubijs ſignis, eumque in ſcopum, vt injurias à

Salua-

Saluatore illatas vlciſcerentur; quando Sacramentum ipſe proptereà inſtituiſſet, vt vindictæ & injuriarum memoriam omnem aboleret; dedecere exiſtimauit eum vltioni locum deſtinari, qui propter inſtitutum in eo Sacramentum pacis arrhabonem paci ipſi ſingulariter deinceps conſecratus fuerat: Hortum igitur deſtinauit, quo à Iudâ traderetur: cænaculum quo cum eo in gratiam rediret proditor, ſi vellet. Noſtèr Paſchaſius Abbas: *Nec enim conueniebat vt eo loco traderetur, vbi cum Diſcipulis Paſcha manducabat, ſed talis eligitur locus, per quem & mundus ſignificetur, in quo Dominus traditus eſt.* *Lib. 12. in Matth.*

CAPVT VI.

Vbi IESV veſtigia retineantur.

De veſtigijs Saluatoris in rupe torrentis Cedron impreſſis, quæ octauo loco venerationi habentur in via Captiuitatis.

I.

IGitur CHRISTVS Dominus jam captus & vinctus tranſiturus iterum torrentem Cedron, cùm malè à peſſimis illis tractaretur, dura quædam & acuta rupes, patienti Creatori ſuo compatiens, cui non compatiebantur hominum corda pro quibus in mundum venerat, velut mollis cera effecta in ſe plura recepit veſtigia, non ſolum pedum, ſed & genuum & manuum, vt dixit Bonifacius, & funis, quo ligatus fuit, inquit Aranda, cum à crudelibus iſtis ſatellitibus non ſemel ad terram vi deijceretur, quæ quidem veſtigia adhuc, magnâ cum admiratione videntur (vti etiam ſuperiori cap. jam dixi) quæ pij fideles venerantur, & exoſculantur, vtpotè inſignia miranda paſſionum CHRISTI Domini. Iuxta eadem veſtigia eſt pons lapideus, ex quo aliqui dicunt CHRISTVM fuiſſe præcipitatum. De his Illuſtriſſ. N. Chriſt. Radziuilus: *Ad dexteram parui pontis ſuper torrentem Cedron impoſitus, locus eſt in petræ ſuperficie planâ ſatis latus, in quo veſtigia manuum, vtriuſq; genu; & extremitatis digitorum pedum Saluatoris noſtri ſunt expreſſa, cum à Iudæis ponticulo deiectus, ibidem concidiſſet.*

Veſtigia Chriſti in durâ rupe.

Ex ponte præcipitatus Chriſtus

Diuersa vestigia à Christo relicta.

II. Referuntur alia diuersa vestigia mirabiliter relicta à CHRISTO Domino suæ Ecclesiæ ante mortem, in morte, & post mortem, in sui perpetuum monumentum. Ante mortem primò: Fugiens in Ægyptum ad Nilum fluuium, CHRISTVS infantulus à B. Virgine Deiparâ marmori superpositus donec madidæ eius vestes exsiccarentur, marmori corpusculi sui figurã impressit, quæ adhæc vsq; tempora, vt fertur, Ægyptum peragrantibus cernitur. In vrbe Nazareth, in deflexu supercilij collis, vnde impij Nazaretani CHRISTVM præcipitem agere decreuerunt, locum etiamnum videri dicitur, vbi CHRISTVS, dum *transiens per medium illorum ibat*, se abscondit contrahente se rupe, & intra se suo opifici parante latibulum in quo rugæ vestimentorum & pedum CHRISTI vestigia impressa cernuntur. Etiam in monte Oliueti, in loco vbi CHRISTVS Patrem pro translatione calicis orauit, & vbi sanguinem sudauit, relicta fuerunt lapidi impressa manuum, genuum, pedum, & etiam digitorum vestigia. Et eidem loco vicinus ostenditur, alius lapis, in quo extremi digiti manuum ac pedum CHRISTI, genua quoque marmori impressa cernuntur, quo nimirum in loco à militibus captus & in terram prostratus fuisse traditur, fertur q; ex eo lapide nihil ne ferreis quidem instrumentis distrahi posse.

Christi infantis vestigia in Ægypto marmori impressa.

Christi vestigia juxta Nazareth rupi impressa.



Item in monte Oliueti.

Et vbi captus est, & in terram prostratus est.

III. In vrbe Tyro saxum magnum magnâ veneratione asseruatur, è quo CHRISTVS sermones ad populum habuerit: ibi verò, vbi pedes CHRISTI steterunt, nunquam puluerem adhærescere narratur. In litore maris Galilææ, in loco vbi CHRISTVS post resurrectionem Discipulis apparuit, dixitq; eis: *pueri numquid pulmentarium habetis?* vestigia pedum CHRISTI in marmore excepta adhuc videri asseritur: cum verò CHRISTVS ascensurus esset in cælum, in loco vnde ascendit, vestigia pedum suorum lapidi impressit.

Saxum in vrbe Tyro supra quo Christus prædicauit.

Christi pedum vestigia juxta mare Galilææ.


  

PARS II.



INFANDO MITEM PROSTERNV̄T IMPROBA REGEM
CASV CRVDELI PECTORE MANCIPIA.
DE DOMINO SERVI MENDACIA CRIMINA PANGV̄T.
SERVORV̄ DOMINVS CRIMINA VERA LVIT.

1.




PARS II.

CAPVT PRIMVM.

IESVS in domum Annæ ducitur, & quæ in eâ perpessus fuerit?

I.



Gressus CHRISTVS Dominus ex torrente Cedron, vbi suorum pedum, genuum, manumq; vestigia rupi impressa reliquerat, funibus ligatus, & sæuissimâ lictorum turmâ circumdatus collem ascendit, & per portam quæ nunc *sterquilinia* dicitur in ciuitatem introductus fuit, vt habet vetus traditio. Inde ductus fuit primò ad domum Annæ, non multum ab eâ distantem. Quò cùm peruenisset, sistitur coram Annâ socero Caiphæ Pontificis anni illius & coram ipso, & in domo eius sequentia contigerunt. Cùm ab Annâ fuisset interrogatus CHRISTVS de Discipulis, & de doctrina suâ, & respondisset se nihil vnquam inocculto fuisse locutum, se palam docuisse populum ac proinde ipsum esse interrogandum, hac respondendi libertate in deteriorem partem acceptâ, vnus ex ministris (& vt placet Chrysostomo & Euthymio, fuit Malchus ille cui amputatam à Petro Auriculam CHRISTVS restituerat) inflixit illi alapam, dicens: *Sic respondes Pontifici?* cui dixit IESVS: *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cedis?*

Item juxta torrentem Cedron.

Porta sterquilinia.

Christo alapa infligitur

Ioan. 18. 22.

II. Verùm quoniam non erat liberum Annæ absq; magno *sanedrim* concilio in re capitali judicare, ac ferre sententiam, misit IESVM ligatum ad Caypham summum Sacerdotem apud quem comitia haberentur: cuius palatium modicum distabat ab illiusdomo: Fuit insuper Saluator in eadem Añæ domo ad quandam *Oliuam* ligatus. Ita docet vetus istarum partium traditio, cui probati grauesq; auctores suffragantur, præter illos qui scripserunt de locis sanctis, & pietas & deuotio fidelium in terrâ sanctâ habitantium & ad eandem peregrinantium, id contestatur: omnes enim eam eo nomine inuisunt & venerantur, Deumque ad ipsam

Idem ad Oliuam ligatur.

Oliua eadem quam venerabilis.

ipsam ligatum pio affectu contemplantur, vt per suam magnam misericordiam in *Oliuâ* repræsentatam, suorum criminum vincula disrumpat. Et qui illius fructus, ramusculum, vel trunci particulas habere possunt, vt sacras reliquias contactu Dominici corporis sanctificatas venerantur & obseruant. *Oliua* hæc, adhuc exstat, & fructum producit, magnam præsefert antiquitatem. Cauernosa est, nec alta, quoniam ob pietatem rami eius præcisi fuerunt. Crassa item satis, in tres ferè truncos diuisa. Circa eam, id est ad radices eius, murus est, & magnâ cum diligentiâ custoditur. Quod fit etiam de illius nouellis surgentibus, statq; in latere dextro Ecclesiæ propè ipsam ædificatæ, & quoniam in domo Annæ est, ab omnibus *Oliua Annæ* appellatur.

Adhuc extat.

Eius qualitas.

III. Domus Annæ in memoriam eorum, quæ circa Dominum nostrum acciderunt, fuit à fidelibus in Ecclesiam conuersa. Ea est exigua, vnicum habens altare ad dexteram partem, quâ oleam respicit, est in muro locellus, in quo lampas accensa conseruatur ad honorem CHRISTI, in suâ Passione ad oliuam illam ligati. Ante Ecclesiam est quoddam atrium domibus cinctum, vbi habitant Armeni, & præsertim eorum sanctimoniales, curamq; eius habent. Non multum distat ab Ecclesiâ sancti Iacobi, & à porta montis Sion. Denominata fuit titulo *sanctorum Angelorum*, vt etiam notauit Adrichomius.

Domus Annæ nunc Ecclesia.

Sanctorum Angelorum dicta.

IV. Porrò de alapâ, quam CHRISTVS Dominus in domo Annæ accepit, credibile est, sacrum cruorem naribus, oculisq; prorupisse, teneramq; illam percussi Domini faciem liuore obductam illicò intumuisse: Auctor enim noster S. Bernardus est, impiam illam ministri manum ferratâ chirothecâ armatam fuisse: & S. Vincentius Ferrerius cum Antonio Burgensi tantâ vi atq; conatu hanc alopam CHRISTO inflictam esse, vt is statim in terram corruerit. Ludolphus verò à Saxonia, ex ore eius sanguinem profluxisse, atq; in venerandâ eius maxillâ digito impressa vestigia remansisse, quorum signa in Veronicæ imagine reperta scribit, vt non immeritò ad iniquissimi illius blateronis audaciam detestandam vsurpare liceat, quod olim Hussitarum Regulus expressit: *Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, Exhorrescat cælum* (exclamat S. Chrysostomus) *contremiscat terra, de CHRISTI patientiâ, & seruorum impudentiâ, Alapis Deus percuti potuit, O Angeli, qui hæc intuemini, quomodo*

Alapa Christo inflicta quam crudelis,

Ex alapâ inflictâ Christus in terram corruit

Iob. 15. 25.

Hom. 81. *in Ioan.*

modo siletis? quomodo manus continere potestis, quomodo pro Domino vestro non respondetis: An hoc ita facitis? vos teneat tanta insolentia? & tanta mansuetudo? tanta peruersitas, & tanta patientia? Ipsam vniuersam creaturam perhorruisse puto ait S. Cyrillus, si sensum huius rei habuerit? Dominus enim gloriæ impiâ hominum manu cædebatur.

V. Notandum hîc quod Franciscus Alchoratus Ecclesiæ Nouariensis Canonicus in suo terræ sanctæ hodæporico alijque non pauci scriptores euulgarunt, de Petro Bantio Vincentino nobili, quem, dum Anno M. D. LXXI. terram sanctam obiret, à Turca quodam deductum volunt ad locum quendam in vrbe Hierosolyma secretiorem, cuius ingressum ferrea janua muniebat, in imo autem lacus quidam aquâ, & sulphure permixtis horridus sedebat, in cuius medio vir quidam cruciabatur acerrimè manum incunctanter, molæ instar Ixionis rotans, voce emissâ itendidem: *Sic respondes Pontifici?* quem aiebant infelicem illum Malchum esse, qui olim CHRISTO alapam impegit, quemq; ab eo tempore terra absorpserat, ibiq; tormentis maximis exercitum diuina nemesis attinebat: dignum nebulone supplicium, si re uera tale. Mirabilis historia si vera.

VI. Fieri id quidem ita potuisse nulla Theologia vetat, quis enim tam cæcus est, aut tam malè de diuinâ omnipotentiâ sentiat, vt præsumat eam vsq; adeò arctare, vt illam quæ infinitos spiritus externis cruciatibus in sinu terræ cruciandos tradidit, neget vnum, alterumuè addicere non posse eisdem, vel etiam maioribus in superficie terræ. Cum ibi sicut in centro, plures suorum scelerum pœnas dare SS. PP. affirment: verum an ita reapse hæc se habeant, vnâ mecum dubitant multi; tum propter Turcarum relationem, quibus exigua fides habenda est, tum verò propter dæmonum illusionem, quam nobilis ille Vincentinus potuit videre, audireq;, quod minimè vel videbat vel audiebat.

VII. Quod verò ad Malchi personam attinet, licet S. Ioannes Chrysostomus atq; Euttymius illum huius iniuriæ designatorem statuerint; sunt tamen & alij teste Petro Cottono, qui doceant CHRISTVM dùm Malcho auriculam in horto restituit, corporis vnà cum animæ sanitatem reddidisse, atq; verisimile esse, illum, hoc à Domino benficio accepto, benefactoris sui simul potentiam & bonitatem demiratum in ipsum credidisse, ac proinde à scelestâ illâ colluuie se subducendo in domum suam De Malcho melius multi sentiunt.

commigrasse atq; irrogatas innocenti huic sanctoq; viro injurias deplorasse. Quicunq; itaq; fuerit ille, hoc certum mille pœnarum generibus dignissimum diuinæ tamen mansuetudinis gratiam in se mirificè expertum, quæ tum nostri causâ, tum exemplo, hic euidenter eluxit.

S. Thomæ alapam quidam inflixerat, sed eidem à molosso brachium à corpore auellitur.

VIII. Olim Apostolo Thomæ in aulâ Regis Indiæ malè feriatus nebulo alapam impegerat, & cum foras exit, ingentem molossum incurrit, qui arrepto dentibus brachio quo nefariam Apostolo plagam intuleret, vnico illud morsu à reliquo corpore auulsit; Abdiâ teste. B. Romualdum Camaldulensium sub Regulâ S. P. N. Benedicti Ascetarum Patriarcham, tenebriones quidam colaphis atq; alapis exceperant, & quid actum? eodem die nec seriùs, partim domus ruinâ oppressi, partim aquis submersi debitas sceleris pœnas persoluerunt. S. Elphegum illustrem ex ordine S. Benedicti Cantuariæ Archipræsulem & Martyrem, ciues quidam ad quos diuerterat, colaphis multarant, cum ecce vix ille portis pedem extulerat, & tota ciuitas incendio deflagrauit. S. Bernardus, dum à regulari clerico, jam nimiùm irregulari, cui habitum ordinis iustâ ex caussâ denegarat, alapam retulit, vnde maxilla inflata, ac rubere cæpta, præsentes hominem inuadere; ad pœnas deposcere, solus autem Bernardus factum excusare, vindices impedire, ac liberum dimittere eius exemplo, cuius se Discipulum profitebatur, quique non solùm maxillam alteram post percussuris, sed corpus totum in cruce figendum præparabat. Bernardum in opere pulcherrimo secutus est Isidorus. Clarius itidem ex ordine S. Benedicti Fulginatium Episcopus. Ludentes hic in foro prætteriens officij admouerat, cum eam ob caussam ex illo perdito grege vnus nobilitate audax ac furore præceps colaphum excussissimâ palmâ antistiti infregit; sed stetit sibi constans Isidorus, ac dissimulatâ iniuriâ, quàm cæperat, ire perrexit. Eundem vix nobilis ab eo in intima deductus conclauia, ibiq; de propudiosâ, quam ageret, vitâ leniter monitus, rabie furens ac scelere amens, depalmarat, non ideo tamen quidquam patientiæ minus decorum fecit Isidorus, quin irruentes famulos abire jussit, nihil factum etiam dictitans, sed quas CHRISTI seruus dissimulanter transmiserat iniurias, grauissimè suo tempore vltus Deus nam vterq; emotâ mente desipientes longa & miseranda ciuibus fabula fuère. Quin & numerum hunc compleat B. Siluester Ordinis.

Item S. Romualdo.

Et S. Elphego.

Item S. Bernardo.

Isidor. Clarij Fulginatiũ Episcopi patientia.

dinis Siluestrinorum sub regulâ S. Benedicti fundator, qui ob admissum juuenem in cætum suum, ab amicis eius grauiter vexatus ac tandem, impactâ alapâ, gemino ex capite, vehementer læsus, tantâ animi moderatione & æquitate contumeliam tulit, vt tum euangelici memor consilij, tum Domini Saluatoris motus exemplo, non modo nullum verbum acerbius protulerit, sed ne minimum quidem signum verus Christiani nominis athletes monstrarit. Sanctus quoq; Eulogius perpetua Cordubensium & Benedictini Ordinis gloria, qui dum à Saracenis ad necem raperetur, atq; à milite alapam acciperet, sine commotione ad alteram se obtulit, quam & illicò eadem promptitudine, quâ flagrarat accepit. Cùm ecce statim à morte supra corpus eius in tantæ mansuetudinis signum columba resedit. Huic socium in hac Palestrâ adjungo Carolomannum, qui Patruus Caroli magni fuit; Pipini Regis frater natu maior, & ipse Germaniæ Rex rerum fortiter, feliciterq; gestarum gloriâ clarus. Huic dum parum videretur, labores bellicos, pacis opes, consiliaq; Deo consecrasse, se quoq; & sua omnia perfectissimè abdicata CHRISTO tradere decreuit; relictisq; Regno ac Patriâ, Romam abijt, & in Soracte ædificato monasterio Monachi habitum, sed multo magis animum induit, nec latentem animo Principem ferebat, sed antiquo homine depulso, in hoc intentus incumbebat, vt ab omnibus quæ mundi sunt, esse posset alienissimus. Verùm dum vnde conditione minuebatur, inde verior illi gloria cresceret, eumq; venerabundi plurimi inuiserent, clam inde se subduxit, & egenus atque inops Cassinum petijt, ibi in S P. N. Benedicti Cænobio pænitentiæ locum poposcit. Annuit Abbas, jussitque tanto virtutem, animumque illius periclitari accuratius, quod barbaræ ignotæque gentis homo videbatur: ad semper & patientiâ & omni virtutum genere claruit, at vilissima coquinæ ministeria promptus, ab insolente coquo & *alapas* & acerbas verberationes æquissimo animo sufferebat.

Baronius.

B. Siluestri Abbatis patientia.

S. Eulogij Martyris mansuetudo

Carolomanni Regis insignis patientia.






PARS III.

CAPVT PRIMVM.

IESVS Caiphæ summo sacerdoti sistitur.

I.



Christus in domo Caiphæ coram concilio præsentatur

E Domo Annæ nocte mediâ ejectus potiùs, quàm dimissus, mitissimus Agnus noster, ad concilium trahitur Iudæorum, hoc est ad tribunal tenebrarum captiuus sol justitiæ, intempestâ nocte raptatur, & licet de rapiendo per dolum eo, in quo dolus non erat, diu ante cogitassent, jam de tollendo eo qui peccatum non fecerat, effrenatè consultanr. Stabat manibus post terga reuinctis, facie verberibus liuidâ, oculis lurido pallore suffusis, atq; in terram dejectis, funem collo gestans, nullas habens in ore suo redargutiones. Spectaculum miserum ac luctuosum.

Quales Iudices in Concilio.

II. Erant autem hi Iudices illi tenebricosi scelerum architecti, inuidiâ inflammati, liuore accensi, superbiâ tumidi, ambitione fastuosi, nihil magis quàm jure aut injuriâ CHRISTI mortem ac sanguinem sitientes, Accusatores ijdem, qui Iudices, maleuolentiâ pleni, inimicitiâ transuersum acti, testes pecuniâ conducti, spe præmij fauorisq; allecti. Reus verò ipsâ innocentiâ integrior, omni integritate innocentior CHRISTVS IESVS. Sed quid nam huic exspectandum ab ijs, qui non solùm omnem judicij formam legumq; Iustitiam libidini suæ postponere, sed & acerrimo turpissimoq; studio falsos teste conquisierunt, quorum testificationem vt velum fucatæ justitiæ oppandere, & justum de medio tollere possent. At magna vis veritatis est, nullis mersabilis vndis exsuperat, quodq; Auus regius de nepote olim cecinerat in apertum hic prodire visum est. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Verè vtiq; mentita; multi enim, vt S. Marcus scribit. *Testimonium falsum dicebant contra eum: & conuenientia testimonia non erant.* Vidisses inuidiâ liuidos, maleuolentiâ suasos, non jam verba, sed fulmina ore toto minitantes.

Testes quales.

Reus.

Veritatis vis magna.

Psal. 26. 12.

Marc. 14. 56.

III. At



VNVS PRO TOTA MACTETVR VICTIMA GENTE,
NE GENS VNIVS CRIMINE TOTA CADAT.
RESPONSVM EX ADYTIS: ITA GENS REDIMETVR AB ORCO
SED NON ILLIVS TV QVOQVE GENTIS ERIS. 2.



III. At nullum eiusmodi testimonium inuenire fuit, quantauis falsitate aut versutiâ fartum, quod juris specie captiuum scelere damnaret. *Nullam*, inquit Orig. *verisimilitudinem reprahensionis inuenerunt in eo, mali licet essent & multi, astuti & ingeniosi. Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogauit IESVM dicens: non respondes quicquam ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil respondit.*

IV. Et hæc omnia fecit prudentissimè, vt quâ parte virus influxerat, vita sequeretur, quodq; nobis faciendum esset, ipse ante iens demonstraret. Et ita profectò est IESV mansuetissime, tacebas & sapientissimè quidem tacebas, non ignorans, quæ ex neglecto silentio nobis incommoda, deseruato verò commoda oriantur. Tacebas ex *Iustitiâ* nec enim personæ, neque ea, quæ proferebant, vllo digna responsu videbantur. Tacebas ex *misericordiâ*, ne dares eis occasionem in malitia sua perseuerandi, & grauius in te, ac DEVM Patrem tuum delinquendi. Tacebas ex *sapientiâ*, quod scires, teste S. Hieronymo, tanquam DEVS, quidquid deniq; respondisses ad calumniam torquendum fore, nec enim hoc agi noueras, vt locus esset defensioni, sed vnum vt suppeteret, quod iniquè carpi, damnariq; ab improbis posset. Silentio itaq; tuo indicabas illis, quali judicio vterentur, corruptissimo vtiq;, atq; ad damnandam innocentiam, non verò ad veritatem cognoscendam comparato, IESVS, inquit Chrysostomus, quia nullum *videbat excusationis locum, tacebat*. Tacebas ad hæc *ex charitate*, cùm enim te vltrò ad mortem obtulisses, nec defendere te, nec excusare, sed quæcunq; obijci poterant in fracto animo decreueras sustinere. Tacebas vt *prudens* ac rerum peritissimus Medicus & Chirurgus, qui, licet ignorante infirmo, contraria sæpe contrarijs applicat morbis medicamenta. Olim primus hominum Parens justissimè à DEO increpitus post lapsum, multa verborum ambage culpam excutere, seq; purgare nisus erat, tu falsis & ementitis testimonijs petitus silere voluisti, vt tacente innocentiâ, garrulam Adami absolueres loquacitatem: vnde non incongruè vetus auctor: *Taciturnitas* inquit, *CHRISTI apologiam Adæ absoluit.* Deniq; tacebas vt clarissimum tolerantiæ ac lenitatis exempla, cum tot, tantasq; nominis tui integerrimi lacerationes non resistendo vinceres, sed perferendo gestiebas superare: perspicuo nobis omnibus relicto exemplo, vt nostri defensionem.

Prudentia IESV in tacendo.

fensionem DEO ac manifestæ veritati lubentes volentesque remittamus.

V. Rectè igitur, vt magnus ait Leo, *interinconditas & dissonas voces hoc DEVS mirabiliter elegit, vt taceret, nec enim opus erat responsione cum ipsorum etiam Sacerdotum judicio*, vt S. Marcus indicat. *allata à subornatis testibus criminatio non poterat sufficisse.* Benè itaq; siluit in passione, non taciturus in judicio. *Iudicandus enim venerat, qui posteà judicaturus veniret: & ideò cum magna humilitate judicatus.* S. August. in Psal. 51. Vnde S. Ambrosius in serm. 17. in Psal. 118. *CHRISTVS Calumnijs apperitus silentium detulit triumphale.*

VI. Nihil enim aduersus calumnias fortius silentio est, quippe cùm ipsa se seueritas efficaciùs tacendo prodat, quàm cùm verba verbis opposita concurrunt, & cogitur velut ex æquo veritas cum mendacio decertare: hoc namq; in cæteris non postremum opus diaboli est, vt seruos DEI mendacio elacerat, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, vt qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur, quos tamen vno silentio prudens nouerit attriuisse. Si tamen famam veritatis huius, quæ in CHRISTO tantopere promicat, imbecillibus oculis sustinere non possumus, translatam in alios, quorum naturam & conditionem nostri oculi sortiti sunt, agedum contemplemur.

VII. Et primus quidem se nobis hîc offert S. Abbas Romualdus ordinis sui sub regula S. P. N. Benedicti fundator, qui teste B. Petro Damiani in eius vitâ, accusatus ab impuro juuene, quasi nefandum scelus secum perpetrasset, à suis subditis in publico conuentu damnatus est, tandisciplinam eius non ferente, quam laqueo & igne cum ipsa sua cellulâ, & quidem centenarius absumendus, vetitusq; ideo sacra mysteria celebrare, donec à Deo monitus est, vt neglectis omnibus, securus Missam perageret.

S. Romualdus.

VIII. Ne verò feliciùs hac animi fortitudine viros profecisse quis autumet quàm mulieres, testem aduoco B. Aldegundem regij stemmatis Virginem à teneris annis omnigenarum virtutum studiosissimam, quæ cum inaudijsset, se ab otiosis fabulatoribus, non sine quorundam offensione traduci, animo nonnihil angi cæpit. At mox ei Angelus subsidio missus. Ecquid te turbat Virgo, aiebat, maleuolorum loquax inuidia? quid hominum inanissimos sermun-

S. Adelgundis.

sermunculos attendis? sponsus & judex tuus in alto est, quid tu terram aspicis? sanguinem pro CHRISTO fundere parata es? contumeliosa priùs verba disce concoquere patiendo vinces, ab eo tempore Aldegundis in tantam se patientiam composuit, vt vltrò posceret à sponso asperius haberi. *Surius.*

IX. Malus tamen Iudex eius silentium, ex quo testium debuerat collegisse vanitatem, in culpæ, vt Maldonatus docet, trahere non veritus est argumentum; *Adjuro te, inquit, Pontifex per DEVM viuum, vt dicas nobis, si tu es CHRISTVS FILIVS DEI,* O sentina vitiorum? impietatis abisse? nefarum caput! tune putrido isto ore? & olenti DEVM viuum, tu juratum hunc audes appellare Auctorem & columen veritatis? Hunc vera semper elocutum & mendacia peius omni morte fugientem oneras injuriâ sacramenti, non vt perfidiam mutes, sed vt odium crees, & præcipites DEVM? quid autem hoc jurejurando interposito vis nosse, quod infinitis noras & prodigijs & argumentis? Replica priorum vatum oracula, quæ sacrorum antistes ignorare non debes, & huius res gestas eam promissis illis tam esse connexas videbis, quam non sunt conuenientia testimonia tua. Eorum memoriam quæ ante oculos omnium gesta sunt, parumper reuoca, & intelligas profectò cuius opera vires humanas excedant, & oraculis facta respondeant, illum esse Filium Dei. Sed audire, vt video, cupis (vtinam & credere) hanc ipsam veritatem; insonat: *Dixit ergò illi IESVS: Tu dixisti. Verumtamen dico tibi, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit.*

Caiphas Christum adiurat per Deum.

Responsum Christi blasphemia judicatur.

X. Deerat hoc angoribus tuis nate Deo, vt adactus fateri quod dissimulare non poteras, & blasphemus audires, & reus mortis, non tabellis judicum, sed concilij conuicio proclamareris, Sed quid hoc IESV bone? quam diuersâ à priore ambulas viâ? ante ne verbo quidem obiecta crimina diluere auditus es, hic vero multò amplius quàm interrogaris, respondes: Ante infrà homines demittere te non verebaris, dum criminosus ac reus haberi non abnuebas, hîc verò suprà homines teipsum euehis, cùm non solùm DEI filius agnosci, sed & Iudex vniuersi orbis æstimari contendis. Nimirum aliter agendum nobis in propriâ, aliter in Dei causâ. In propriâ, tacere licitum, ac plerumq; quo propius

Dei honor semper & vbiq; defendendus.

 ab inno-

ab innocentiâ abſumus, hoc minùs de tuendo nomine laborandum; verùm vbi DEI cauſa honoſq; propugnandus eſt, nulla contentio ſtudiumq; ſubterfugiendum eſt, nullum hîc ouis leonem induat, & columba aquilinos ſpiritus æmuletur, neceſſe eſt. Atq; id voluit CHRISTVS, qui pro ſuâ tuendâ innocentiâ tacuerat, hic pro aſſerendâ Dei gloriâ, quamuis omne quod dicturus erat, vt impium atq; ſacrilegum, quod diuinæ Maieſtati violandæ prolatum foret, accipiendum non neſciret, nequaquam ſe Dei Filium profiteri prætermiſit: grandis ſiquidem obteſtatio per venerandum Dei Patris nomen excitarat pietatem in Patrem, religionem in Deum, amorem veritatis in CHRISTVM ad liberam ſuæ Diuinitatis profeſſionem minimè ſubterfugiendam.

Veritas iniquis exoſiſſima.

XI. Sed nimirum iniquis auribus profanum nil magis eſt quam veritas. Veluti igitur conuicia in Deum religioſas ad aures accidiſſent, diloricauit pius veterator tunicam, dum cor frangere debuiſſet. Ergò ſententiæ rogantur. Mira conſenſio, morti omnium votis addicitur, Quo ab aſſiſtentibus audito, ſtatim *expuerunt in faciem eius.* O ſcelus! O flagitium in vltimum inferorum chaos demergendum! conſpuitur vultus ille, in quem contuentur cæli ciues, ac Dynaſtæ imortalitatis gaudio perfruuntur! excipitur ſputis hominum impuriſſimorum quod eſt in ipſo beatiſſimum, illud decus, illa gloria, quæ ex eo vultu tanquam è propriâ ſede clarius, quam cæli ſidera fulgurabat.

Faciem hominis conſpuere grauiſſimum contumeliæ genus.

XII. Hominis faciem conſpuere, grauiſſimum contumeliæ genus habitum ſemper fuit, addo etiam ex legis diuinæ ſenſu infame atq; execrandum. At nulla hic conſpuendi ratio, cauſſa nulla; iniuria verò longè grauiſſima, & immanis, quam pœna maneat tanto digna ſcelere; ſempiterna. Intereà verò dum hæc viuentium oculos latet, non debuit pœna tanti ſceleris omnis occultari; animaduerſione ſiquidem præſenti aduerſus hos improbos vti neceſſe fuit: ita legimus inter huius ætatis Iudæos, ſupereſſe etiamnum deteſtabilem quandam proſapiam, quæ ab illis naſcendi ordine deſcendat, qui tantâ olim impietate diuinam CHRISTI faciem conſpuerunt, è quâ quotquot geniti, atq; in hanc horam progenerantur, nullus omninò queat ex omnibus, ſputa ſua, quantacunque vi nitatur, eijcere, niſi in faciem & os, vnde profluxerant, denuò reuertantur. Mirum, inquies, & inauditum aliàs, & fortaſſis vnum ex ijs, quæ Rabinorum inſania coquere ſolet,

Punitio eorum, qui Chriſtum conſpuerunt.

ſolet, delirium. Sed metuere noli, res certa & explorata eſt, quam magnus Hetruriæ Dux claro experimento cognouit, & omnibus teſtatam fecit. Iuſta ſanè ignaq; ſcelere pœna, juxta Prophetæ Regij, quam *Pſalm.* 36. expreſſit imprecationem; *Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.* *Petrus d' Aultroman in aulâ S. P. 2. c. 1.*

XIII. Nec ignoraſſe hæc arbitror fatiloquam illam Phæbadem, Sybillam nuncupatam, quam inter cætera cultæ virginitatis præmia, Arcanorum Dei conſciam voluêre: certè vel ipſo ſancto Auguſtino teſte, ita in hanc rem ceciniſſe de CHRISTO legitur: *Orat. contra Iud. & Pagan. cap. 16.*

In manus iniquas & infidelium poſtea veniet
Et oribus immundis expuent in eum ſaliuas venenoſas.

Vbi notandum à Sybillâ Saliuas iſtorum hominum appellari venenoſas, nec temere; non enim ſaliuis tantum ac ſputis affectus fuit ignominioſis, ſed malignâ quoq; læthaliq; qualitate imbutis, nam, vt bene aduertit Vincentius Moles in Philoſophiâ corporis CHRISTI *cap.* 11. *dub.* 1. ſicut ſaliua hominis bene temperati ſanitatem inducit, morboſq; depellit: Sic, contra, ſaliua hominis malè temperati & malefici ſuo lentore & prauâ qualitate, non qualeſcunq; imprimit morbos, verùm etiam læthiferos, quod Celſus & Plinius docuêre dum ſaliuam & dentes hominis malè temperati venenoſum quid habere teſtati ſunt: quod in plurimis animalibus conſtat, quæ mordendo, mediâ ſaliuâ, quæ venenum continet, hominem occidunt. Saliuæ nonnullæ lethiferæ.

XIIII. Iam verò ad miniſtros illos quod attinet, erant illi malefici, & rabie quadam perciti homines, alioquin viliſſimi cepâ, allio, & id genus cibis enutriti, multoq; potu æſtuantes, qui ſacroſanctam CHRISTI faciem totam immundis, glutinoſis, lentis, craſſisq;, & viſcidis ac crudis ſuccis ex fundo ventriculi, ac pectoris eductis oppleuerunt: quapropter non abs re exiſtimandum eſt, tales maleficas ac venenatas conſputationes ſecum attuliſſe peſſimas qualitates, mortiferas ac lethales, quæ tenerrimæ CHRISTI faciei adglutinatæ, præter pudorem & ignominiam, maleficos produxere effectus.

XV. Neq; mirandum eſt, ſaliuæ huiusmodi hominum virus tribui, quando dentibus, adeoq; & ſpiritui, quem nonnulli emittunt, Plinius veneficam ineſſe qualitatem fuerit arbitratus, vbi ſic ſcribit: *Hominum dentibus quoddam ineſt virus: nam & ſpeculi nito-* *Plin. lib. 11. c. 37.*

culi nitorem ex aduerso hebetant, & columbarum fœtus implumes necant. Hæc ſputa noſter *S. Anſelmus expendens B. Virginem inducit his verbis loquentem: Filius meus adeò conſputus apparuit, vt velut leproſus videretur.* Opprobrium atrox, & omni homini ne dum DEO grauiſſimum: Siquidem facies illa, cuius amore ardent Seraphin, cuius videndi deſiderio Prophetæ aſſiduo aſpirabant,

Pſal. 79. 4 clamantes: *Oſtende nobis faciem tuam & ſalui erimus.* Facta eſt matella & ſcaphium immundiſſimum, in quod ſordidiſſima pectorum ſputa proijciantur. Graphicè contumeliam hanc Evangeli-

Iſa. 52. 14 cus noſter vates expreſſiſse legitur: *Quemadmodum*, inquiens, *obſtupuerunt ſuper te multi; ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. Quid enim*, ait oris aurei Eccleſiaſtes, *illi contumeliæ exæquari poteſt, in faciem illam quam fluctus maris reueriti ſunt, ſpuere non verebantur, quando ſi vnquam diſſimilis atque ingloria facies illa apparuit, vtpotè purulenta ſputis illita, & fœdis pituitæ ſordibus obſcurata*: Ita vt ſacris teſtibus Birgittâ, Eliſabethâ atq; Mechtilde alijsq; quibus id de cælo nunciatum eſt, ſexaginta ſex vicibus, fœda atq; infamia eorum ſputa, diuino vultui fuerint illata.

Quot ſputa numerentur à SS. VV.

XVI. Atq; hæc omnia facta ſunt in domo Caiphæ, quæ olim quidem intra ciuitatis muros ſita fuit, ſed nunc extra in monte Sion viſitur, & propter contumelias & opprobria, quæ ibidem ſuſtinuit CHRISTVS in ueneratione habetur. Hæc domus, vt notauit Adrichomius, erat palatium amplum & angulare, non tantùm priuatum Caiphæ, ſed ordinarium & publicum quorumlibet ſummorum Pontificum & Iudæorum. In eâ olim habitauit Elias Sacerdos magnus, vt ex 2. Esdræ c. 3. colligitur. Domum hanc Helena Conſtantini Mater in templum conuertit diuo Petro dicatum, quod poſteà ſancti Saluatoris appellatum eſt. In capite vnum habet altare, ſupra quod eſt lapis ille magnus qui aduolutus fuit, ad oſtium monumenti CHRISTI Domini.



CAPVT

CAPVT II.

De loco qui carcer CHRISTI *appellatur, & supremâ nocte, quam multis ærumnis exercitam in Caiphæ domo captiuus traduxit.*

I.

SOluto Principum seniorumque populi concilio, ac redito in diem posterum sub auroram indicta, abeuntibus singulis in domum suam, mansit in vicino IESVS, siue carcer ille fuerit, siue atrium aliquod Pontificis domus. Siquidem in capite Ecclesiæ sancti Petri (de quâ capite præcedenti) & in eius sinistro latere cornu epistolæ est Sacellum valde paruum & angustum & in eodem altare, appellaturq; *Carcer CHRISTI Domini*, quoniam ibi velut in carcere detentus fuit CHRISTVS eâ nocte, quâ captus fuit, vt docet vetus traditio; eo intuitu inuisitur & in veneratione habetur à Christi colis. Extra Ecclesiam propè fores eius ad dexteram, ingredienti apparet columnæ pars, supra quam gallus cantauit tempore quo in Caiphæ domo compræhensus detinebatur CHRISTVS Petrumq; negationis CHRISTI admonuit; ita vetus habet harum partium traditio. Quod si quis dicat, istam columnam ostendi Romæ in Ecclesiâ sancti Ioannis Lateranensis, dici potest, eam, quæ cernitur in domo Caiphæ, positam fuisse pro signo illius, supra quam Gallus cantans Petrum ad pænitentiam & ad sperandam veniam incitauit. In medio atrij sub dio est arbor mala aurei, in loco vbi Petrus charitate & rigore frigidus ad ignem se calefaciens suum negauit Magistrum, ob quod etiam æstimatur valdè ab incolis & peregrinis.

Carcer Christi in paruam Ecclesiam conuersus.

Petrus vbi Christum negauit.

II. Hic ministris, quorum custodiæ commissus erat IESVS, crescente audaciâ, cæperunt ei, velut damnato jam conuictoq; varijs modis illudere, ac belluinâ quadam rabie morituro insultare: vt nec temerè nec justo audentius esse me prolocutum quis arguat, si nihil hic vel sensu asperum, vel lato arduum, vel facto improbum, à nocturno illo lurconum grege esse dixero prætermissum, quod omne diuinâ tamen virtute, atq; incredibili fortitudine singulari nobis edito documento sufferre visus est.

Sannæ & probra.

Militum insolentia.

III. Ac primò quidem milites, qui ridere neſciunt innocenter per improbos ſales, perque acerba conuicia, os illud Maieſtatis plenum, & regiam diuinitatis, vti ante conſpuerant, ita nunc palmis cæpere excuſſiſsimis diuerberare, quemadmodum S. Matthæus diſertis verbis indicat: *aly autem palmas in faciem eius dederunt*, quod græcè legitur ἐῤῥάπισαν, atque à quibuſdam vertitur *fuſtibus aut bacillis eum ceciderunt, quidam crepidis verberarunt, aly depalmauerunt, aly palmas impegerunt*, quod poſtremum interpreti noſtro placuit, quamuis alia non neget, & facilè credi poſſint adhibita fuiſſe, ſpiritu ſancto tali vocabulo vtente, quod & hoc & iſta deſignet: vnde quantum, iteratis ictibus tumorem liuoremque totis artubus retulerit, facile eſt arbitrari, tempeſtas certè verberum crudeliſſima ſpecioſi corporis decorem & formam depopulata, immaniter deſpectum omnibus & *virorum nouiſſimum* reddiderat, non ita tamen quin interdum ſub tantâ vultus deformitate, velut ſub opacâ quadam nube delitеſcens, diuini ſolis ſplendor erumperet, quâ nocturni hi graſatores præpetiri ſe poſſe arbitrati, ne ſpirantem atque inſcriptam cernere cogerentur iñocentiam in irriſionem illius contumaces, faciem eius ſordido quodam peniculo velauerunt. Illo & facie diuini ſolis abſconditâ, quaſi inobſcuriſſimâ nocte tutiora diſcurrunt flagitia impurè volitant officioſa dedecora, licentiùs hac illac perſtrepunt ſannæ, jocique non ferendi, & quod horret animus cogitare ad leuandum ſceleratarum excubiarum tædium, nefarijs ſeruulis ipſa fit luſus diuinitas.

Chriſti facies velatur

IV. Vos aſtra tuq; aſtrorum regnatrix luna, dicite quid vigilantibus oculis in ſceleſtiſſimo vidiſtis atrio, ſi tamen rerum indignitatem auerſata non fugiſtis è cælo, dum per vltimam licentiæ militaris audaciam velatur oculis, qui animorum conſilia retegit, & omnes introſpicit cogitatus. Inſuper jam gradu facto, per improbos ſales, perq; acerba conuicia os illud majeſtatis plenum, aſylum ſapientiæ, aram fidei, ſtolidum quaſi caput palmis pulſantes excuſſiſsimis, *Prophetiza nobis*, inquiunt, *CHRISTE, quis eſt qui te percuſſit*? q. d. Prophetam eſſe te jactaſti, & CHRISTVM DEI Filium cui apertum atq; occultum ſit nihil, dic ergo nobis obuelatis oculis, conjector non falſus, quis ille ſit, qui hanc tibi alapam infregit, & certatim vnus poſt alium,

Prophetizare iubetur.

vultum

vultum gloriæ depalmare iterum cæperunt: quin etiam augentur odia, & incrementum capit audacia, in capillum & barbam inuolant, de quo per Iſaiam olim quæſtus fuerat: *Et genas meis dedi vellentibus.* Siue vt Forerus ex hebræo vertit, *Depilantibus* dum crines illos eam caniculatim promiſſos, & ſacri veluti tecti imbrices, cæleſti ſemper rore madentes, ac tunc maximè guttis pluuiæ noctis diffluentes, violenter auellunt. Capilli & barba ei euelluntur.

V. *Multa alia*, inquit S. Lucas, *qui illudebant ei blaſphemantes, dicebant in eum*; de quibus nonnulla ex SS. Patribus, grauiſſimisq; Eccleſiæ Doctoribus abs re non fuerit obiter delibaſſe, atq; in primis ex S. Bernardo lib. de conuiuio crucifixi. B. Laurentio Iuſtiniano lib. de triumphali agone, S. Anſelmo tract. de Paſſ. Dom. Landſpergio in theoremat. de Paſſ. alijsque pluribus, qui communi calculo CHRISTVM hac nocte à militibus non ſententiâ Iudicis, ſed in ſana ſatellitum rabie ac miniſtrorum ſæuitie fuiſſe flagellatum inſuper docuêre. Vnde Daniel Mallonius *de flagellat. CHRISTI c. 5*, Sic loquitur: *Poſtquam Caiphas in Cathedra peſtilentiæ ſedens, cum conſilio malignantium impiam illam in caput CHRISTI ſententiam protuliſſet, dicens: Reus eſt mortis, CHRISTVM impijs miniſtris tradidit cautè, vſq; dum illuceſceret, cuſtodiendum, grauiſſimisq; injurijs afficiendum: præcipiens illis, vt eum tutò cuſtodirent. Protinus turba ſatellitum CHRISTVM in deterrimum carcerem, in eiuſdem Cayphæ palatio exiſtentem, cuius adhuc exſtare dicuntur veſtigia, conijciunt, ibi ad lapideam columnam vinctis poſt terga manibus ligant, pugnis, calcibus, colaphis, alapis, loris, flagellis contundunt, lacerant, ſuamq; in eum rabiem effundunt, adeoq; crudeliter tractant, vt proximum morti vix non vitâ priuarint.* Hæc autem quamuis apud Euangeliſtas non legantur, ea tamen nobis tanquam indubitata, grauium Doctorum Auctoritas conſignauit. Et ſic pernoctatum eſt ad dolorum vſque perfectam diem. Verum enim vero. Colaphi, Alapæ, Flagella.

Quis cladem illius noctis, quis ſcommata fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare dolorem?

Quem innocens DEI Filius breui illo temporis
ſpatio perpeſſus eſt?

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum;
Ferrea vox omnes ſcelerum comprehendere formas,
Omnia pænarum percurrere nomine poſſim.

Quibus

Domus Caiphæ mutauit Helenas in templum S. Petri.

Quibus nox illa infausta apud Caypham traducta fuit, vbi cæli regem circumsistentes medium nefarij perduelles, quasi ariolum quendam personatum acerrimè diuexarunt: vt diuino planè instinctu religiosissima Imperatrix Helena docta fuisse æstimanda sit, quando domum hanc Caiphæ in Christianorum templum S. Petro dedicandum, teste Nicephoro conuertit, cui posteà Armenorum monasterium adjunctum est, vt quod ibi gestum est, cùm linguâ proferri nequeat, mente saltem à fidelibus istic aliquatenus expendatur. Porro in hoc templo ad latus sinistrum, angustum sacellum visitur, vno instructum altari, cui *carcer CHRISTI* nomen est, in quem, vt antè dixi, conjectus, noctem hanc duriam transegit.



PARS IV.



O SCELVS; O PIETAS QVI FERS HÆC VERBERA MENTEM
ERGA TE SVMMVS FERRE COEGIT AMOR.
FERRE COEGIT AMOR? QVIS CAVSA EST HVIVS AMORIS?
QVI PENITVS NVLLO DIGNVS AMORE FVIT.

3.

PARS IV.

CAPVT PRIMVM.

De viâ Crucis siue dolorosâ.

I.



Ia hæc *via crucis*, & frequentiùs vulgari vocabulo *via dolorosa* nuncupatur, non quòd sontes communiter crucibus onusti, ac doloribus afflicti, per eam ad mortem in Caluariæ monte subeundam ducerentur (nam ex hoc nihil memoriâ dignum de ea refertur, vt propterea nobili dignetur nomine, piaque consideratione ac deuoto affectu colatur, & à fidelibus in cultu & obseruantiâ habeatur, quin hanc ob rationem potiùs execranda & abominabilis habenda esset, quia ab execrandis & abominandis hominibus justè ob sua facinora supplicio affectis, calcata fuit) sed quòd DOMINVS noster IESVS CHRISTVS, innocens, impollutus, ex charitate nimiâ, vt nos ab æternæ mortis sententiâ, & sempiternis inferni doloribus, nostris sceleribus debitis, liberaret, semetipsum Patri ac injusto Iudici Pilato humiliauerit, factus obediens vsque ad mortem crucis, quam sibi baiulans, ex palatio spinis coronatus opprobrijs ac doloribus circumdatus, per eam viam exiuit in Caluariæ montem, ac damnatorum locum, vbi & crucifixus fuit, vt omnes prodiderunt Euangelistæ. Et profectò non aliud quàm cruces & dolores mentis & corporis in hac via inuenimus, quibus humani generis Reparator propter nos affectus fuit, & alij ex illius compassione, transfixi fuerunt, vt sanctissima eius Mater, discipuli, deuotæ mulieres, ac alij pij viri, vt satis manifestum est. *Via dolorosa cur dicta.*

II. Primus locus, qui sese offert, considerandus *in via crucis*, est Pilati palatium in medio ferè sanctæ ciuitatis Ierusalem à sinistro Salomonici templi latere, hoc est in eius plagâ Aquilonari est domus proxima turri Antoniæ, siue residuo illius turris, quæ palatium Pilati appellatur, quoniam cum ordinaria esset habitatio Præsidum Romanorum, qui eorum nomine Iudæam custodiebant, & Pontius Pilatus tempore Passionis CHRISTI *Pilati palatium.*

fuerit ibi Præses, & in eo consequenter habitauerit, ab eo nomen accepit, quod vsq; in præsentem diem retinet: dicitur enim *Palatium Pilati.* Erat olim omnibus ciuitatis ædibus multò amplius pulchrius, & eminentius, ad quod per scalam 28. graduum ascendebatur; nunc verò non omnibus ædibus pulchrius & amplius est, vt, qui hoc & illas diligenter inspexerunt, fidem faciunt. Creditur tamen eandem altitudinem retinere: ex hoc etenim totum templum Salomonis cum circumjacentibus locis & plateis prospicitur, nec alibi licet illiud melius intueri. Ascendimus ad ipsum viginti quinq; gressibus in plano, vbi olim erat scala, cuius gradibus Romam translatis, alij non fuerunt amplius in eorum locum restituti.

Ad id 28. gradibus ascendebatur.

Eius gradus Romam translati.

III. Vt olim, cùm Iudæa Romanorum Imperio subiecta erat, Præsides siue eorum Gubernatores, quos *sanzachos* appellant, ibidem commorantur. Intus in eodem loco vbi tempore CHRISTI erat Prætorium & aula, in quá causæ audiebantur, quæ etiam hodie ad idipsum deseruit, in eoq; Iudex judicat. Foris ante ipsum est atrium, locus sub dio, stratus quadratis dolatisq; marmoribus, cinerei coloris, in quo steterunt Iudæi, quando duxerunt CHRISTVM ad Pilatum, nolentes Prætorium ingredi, ne contaminarentur. Sunt hinc inde nonnullæ habitationes. Hoc Palatium fuit in Ecclesiam à pijs fidelibus conuersum, & cubicula in Capellas, vt non obscurè licet intueri; nam excepto pristino splendore, fabrica ferè in primo statu perdurat, solâ formâ vsuq; mutato; non enim Ecclesia est aut locus orationis, sed iniusti aut iniqui judicis habitatio, pro cuius commoditate aptata fuit. Vbi olim erat Prætorium, postea Chorus vel maior Ecclesiæ Capella, ibi, & nunc est Prætorium. Cubicula quæ ex vtroq; latere steterunt, & in Capellas conuersa fuerunt, pristino iterum vsui restituta sunt, & si formam Capellæ adhuc retineant, suntq; alta satis, & picturæ nonnullæ ibi conspiciuntur, quamuis maiori ex parte eæ deletæ sint. In superiore parte sunt alia habitacula. Vbi nunc est, & olim erat atrium, credo fuisse corpus Ecclesiæ.

Palatium Pilati in Ecclesiam conuersum.

CAPVT II.

IESVS ad Pilatum ducitur, multisq; obrutus conuitijs, ad mortem postulatur.

I.

POst noctem illam horrendam inter ludibria, verberaq; perpetua

petua vigilatam, dilapsis jam cælo tenebris, sed in animâ impiorum duplicatis, confirmant latam noctu sententiam de nece immerentis, ac quæstione habitâ denuò, ne semel tantum viderentur injusti, suffragia instaurant, & tanquam extenuanda esset, vt scribit S. Leo, furoris ipsorum insania, si eius sententiâ, qui ipsorum Prouinciæ præsidebat, vterentur IESVM duris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum, ad Pilatum abripiunt, vt inter tot præjudicia, qaem omnes vellent perire, non auderet Præses absoluere, expetentes eum executorē magis sæuitiæ, quàm arbitrum causæ. Trahebatur autem, vt multi sentiunt, catenâ collo injectâ, quam multo tempore ferunt quidam apud Salmeronem Hierosolymis seruatam, contactu suo dæmonia ab obsessis corporibus depulisse, quæ causa est, vt in typum illius, teste S. Basilio *in mystagog.* Sacerdos in sacrificio Missæ, Stolâ ad collum vtatur.

Suffragia instaurantur.

S. Leo ser. 3.

Salmer. tom 10. tract. 24.

Catenæ loco stola in Missa.

II. Iamq; ad Prætorium accesserant, quod palatium erat Præsidum Romanorum, adhærens arci Antoniæ, vt diximus, cæteris ciuitatis ædibus eminentius, ad quod viginti octo, vt minimum gradibus auctore Adrichomio ascendebatur, & quia criminibus agere non poterant, jurgijs perstrepunt, clamoribus vrgent, innocentis odio titulum solennis officij, præferunt speciem probitatis, in Prætorium ingredi verentur, ne comesturi Pascha, eiusdem ingressu contaminarentur, quasi periculum sit, ne eorum pedes in prætorij limine maculentur, quorum animi in DEI sanguinem, vitam honoremq; omnem deuorarant. Verè Pharisei excolantes culicem, camelum deglutientes; paulò ante, metuebant pretium sanguinis à proditore refusum mittere in corbonam, de innocentis sanguine fundendo consultare nil formidantes, nunc innocentis necem à Præside extorquere non dubitant.

Prætorium ingredi verentur Iudæi.

III. Quamuis autem Pilatus illorum morem interpretari potuisset contemptum sui, illosque siquid ipsum vellent, ad ingrediendum cogere, tamen, quâ erat facilitate, ipse domo egressus in lithostroton, quæ porticus erat, instar pontis è Prætorio in arcem Antoniam ducens, atque inde eos allocutus. *Quam*, inquit, *affertis accusationem aduersus hominem hunc? Responderunt: Si non esset hic malefactor, non tibi traidissemus eum. Malefactorem*, *inquit S. Cyrillus appellant eum, qui ad destructionem malorum in mundum venerat. Interrogentur*, ait S. Augustinus, *atq; respondeant*

Iudæorum calux accusationes.

 ab immun-

ab immundis spiritibus liberati, sanati languidi, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, & quod omnia superat, stulti sapientes, vtrum sit malefactor IESVS? Sed ista dicebant, de quibus per Prophetam ipse prædixerat: Retribuebant mala pro bonis. Hæc Augustinus.

IV. Verum, heus vos scribæ ac Pharisæi, quam mali vmbram in hoc sole captare potuistis? quam legem violauit? non legem sacramentorum fœderis Mosaici, passus enim est se vt Iudæum circumcidi; non legem ceremonialem, quia voluit in templo offerri, non moralem, quia parentes honorauit, *& erat subditus illis*: non naturalem, quia quoscunq; ope suâ indigentes inuenit, adjuuit; non imperialem, quia numisma census Cæsari persoluit: non deniq; sacerdotalem, quia leprosos à se mundatos ad illos remisit; quid ergò mali fecit? At frustra hæc omnia: antiquum obtinent: *Si non esset hic, inquiunt, malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Dixit ergò eis Pilatus: *Accipite eum vos, & judicate eum*, id est supplicio vel mortis vel minori afficite, jam ante enim condemnastis eum. Non dubium, quin Pilatus, si hac ipsius concessione vsi Iudæi, IESVM interfecissent, diligentissimè examinaturus fuerit jure ne an injuriâ id illi fecissent, quod veriti illico reposuere: *Nobis non licet interficere quemquam.*

V. Ea propter scelerum Principes CHRISTVM jam ab se damnatum iniquissimè Prætori interficiendum objecerunt, qui mente eorum jam satis perspectâ intrò se recepit, quo & reum statim accersiri præcepit, vt absq; tumultu ac strepitu eum audire & examinare posset. *IESVS itaq; stetit*, vt reus *ante Præsidem.* Acerbissimum & longè miserrimum spectaculi genus: DEI Filium ad profani hominis tribunal euocatum causam capitis, tanquam, maleficum ex vinculis dicere. Sed pati hoc ille voluit, qui securum nobis ad DEI Patris sui thronum parabat accessum.

VI. De varijs Iudæi CHRISTVM accusarunt, quod populum peruerteret, Cæsari tributa dari prohiberet, quod regem se diceret: & Pilatus qui sat nouerat quid hominis esset IESVS, sanctum scilcet ac justum, cuius doctrina populum à vitijs ad virtutem duceret, dissimulatâ primâ ac secundâ objectione, de tertia illum interpellat, non quod perduellionis eum haberet suspectum, quem nouerat pauperem, & inermem vitam agere; sed quòd regium nomen in præjudicium Cæsaris tendere videretur,

Capita accusationum aduersus Iesum.

qui ne-

qui neminem pro rege cuiuscunq; prouinciæ se gerere patiebatur, hoc minimè prætereundum esse duxit, præsertim cùm à diebus paucis vrbem multis comitantibus ingressus, illud acclamari sibi permisisset, non obscurè se habens pro Rege illo Iudæis promisso, quod illi haud quaquam ignorantes, potissimum sumpserant agitandum. Sollicitus itaq; de læsâ Cæsaris maiestate Præses, interrogat IESVM *tu es Rex Iudæorum?* Græce ὁ βασιλεὺς ille Rex quem Iudæi exspectant, tacitam emphasin importans, quod cùm diceret, non dubitat Origenes cum Theophylacto, quin apud se riserit, ac CHRISTVM contempserit Pilatus, quod tam miser despectus regnum sibi præsumeret arrogare, cuius facies, cultus, conditio, totiusque corporis habitus, ac species simplicitatem quamdam præseferrent, ac nihil minùs quam regni argurrent affectorem.

VII. Quare foras relicto reo, progressus vrgente conscientiâ ad Iudæos conuertitur Pilatus & voce turbidâ exclamat, *Ego nullam in eo causam mortis inuenio* publicè accusatum publicè excusat, quia nemo erat qui eius causam ageret, crediditq;, si quod regnum haberet CHRISTVS, illud nequaquam Cæsari posse aduersare. Hic liberis, insanisq; vocibus omnes perstrepere, & quod ratione non poterant, clamoribus velle obtinere: *Commouit*, inquiunt, *populum docens per vniuersam Iudæam incipiens à Galilea vsq; huc*, Pilatus audiens Galilæam, interrogauit, si homo Galilæus esset? & vt cognouit quod Herodis potestate esset, cum robustam nequiret constanti pectore perrumpere iniquitatem, vt facinoris declinet inuidiam, innocentiæ conscius, justitiæ impar, controuersiam reijcit ad Hærodem, & Galilæum hominem Galilæo Principi permisit, atq; ita capitalis DEI causa humanâ vertitur in nundinas ambitionis, & dum aliquid indulget sceleri Iudex impotens, ingentem aditum aperit flagitio perfitiundo quod frustra postmodum conabitur extirpare. Remisit itaque eum *ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat his diebus.* Et duplici quidem culpâ deliquit hîc Pilatus, tum quod innocentem non absolueret, tum quod insontis judicium permitteret tyrano. O perditum atq; execrandum tribunal: Iudicium turpissimum, flagitiosum, ac hoccine Romanum est.

CAPVT III.

IESVS à Præside traditur Herodi, à quo illusus & spretus, remittitur ad Pilatum.

I.

PRomulgato jam Præsidis decreto demittendo IESV ad Galilææ Principem Herodem, nullius omnino intercessione reclamatum est. Vrgebant autem omnes quantocius rerum istuc ablegari, sperantes illum qui Ioannem paulò ante occiderat, CHRISTVM quoq; de medio esse sublaturum. E domo itaq; Pilati constrictus vinculis ad Herodis Antipæ palatium abripitur IESVS, itinere non gentorum, quinquaginta quinque pedum, seu vt Adricomius scribit, trecentorum, quinquaginta gressuum, comitante eum turbâ Principum, populi, ac ministrorum vniuersâ, qui rerum à se damnatum], ante dimittere non statuerant, quam cruci affixum conspexissent. Sistitur itaq; ad incesti regis impium tribunal innocens CHRISTI modestia, vbi de supplicio ante quod cæptum est, quam de causâ, vbi idem accusator & Iudex, aduersarij omnes, defensor nullus], nisi forte reo futura sit pro summo patrocinio taciturnitas, quam redintegrat accusatione, sapientissimè quoq; redintegrat, nostras sic arguens eloquentissimas in peccatis excusationes.

IESVS ad Herodem abripitur.

II. Herodes viso ante tribunal suum adstare hunc reum, exsilire gaudio, tum verò curiositate duci videndi ab eo, qui magiam aut histrionicam callere ferebatur, prodigium aliquod, aut portentum varijs eum vrgere quæstionibus cæpit: & certi quidem de his nihil scriptum commemorat, quod autem ratio ipsaq; cum verò affinitas suspicari visa sunt, huiusmodi fuisse arbitror, scilicet an ipse is esset, qui parenti suo etiamnum Infans illuserit? an eum se ferat cuius aduentu simulachra Ægypti corruerint? an cæco nato diem restituerit, leprosos mundarit? surdos ac mutos à malo genio insessos curarit? quatriduanum Lazarum ad vitam reduxerit, aliaq; similia: ad quâ cum prudenti silentio taceret IESVS, ablato pane & aquâ auidè expostulat & hanc in vinum commutari, illum verò in multos exaugeri, cunctanti auctor est noster S. Anselmus, coronam capite suo detractam magnâ ei beneuolentiâ imposuisse, atq; vnà libertatem promisisse, si desiderio suo

Interrogationes ab Herode IESV propositæ.

derio ſuo facere ſatis. Ita Rex vaniſſimus varijs propoſitionibus, ac poſtulatis CHRISTVM laceſſebat. At ille nullum ei reſponſum dabat.

Ieſus Herodi reſponſum nullum dabat.

III. O Herodes fatue, ô Regum curioſiſſime, ſi ſcias quis ante te ſtet, quæſtiones longè aliter inſtituas. Hoc ſummum eſt prodigium, verbum obmuteſcere, ſapientiam illuſionis tolerantem eſſe. Quod ſi adeò ardenter quæras miracula, paululum expecta, breui è cœlo, terraq; videbis. Sed vbi morum emendatio? Hoc tibi vtiliſſimum foret miraculum, ſi tute ad frugem applicares animum. Sed potior tibi curioſitas eſt, & imperandi libido, quam animus, ad virtutem compoſitus.

IV. Silentij IESV cauſæ vel nobis notæ complures. 1. ad emendationem nihil feciſſet reſponſio. Vna & ſola curioſitas hîc reſpoſum venabatur. 2. Tacebat IESVS ne verba & ſigna damnationem obſtinatiſſimi hominis augerent. 3. Tacebat, ne proximos cruciatus & mortem crucis impediret. 4. Tacebat, quia voci ſuæ Ioanni Baptiſtæ ſilentium gladio Rex imperaſſet. Non enim CHRISTVM loquentem audiunt, qui quos mittit reijciunt. Deniq; reſpondere noluit, aut miraculum vllum facere coram Rege ac proceribus eius, vt exemplo nobis eſſet, oſtentationem omnem, atq; vanitatem coram magnatibus declinandi.

Eius ſilentij cauſæ.

V. *Stabant interea Principes Sacerdotum ac ſcribæ conſtanter accuſantes eum*, veriti ne quâ gratiâ ac fauore à Galilæo principe liber dimitteretur IESVS, quibus omnibus vno is eodemq; ſilentio reponebat nihil. Herodes itaq; non vt Pilatus modeſtiſſimi Rei taciturnitatem miratus, ſed hominem cenſens indoctis dumtaxat doctum, & plebi diſertum, eum cum omni exercitu ſuo, quem è Galilæa ſecum adduxerat, ſtultum eſſe & inſanum judicauit; ſpretus itaq; ab eo fuit, atq; ideo ſpretus, quia ſiluit, cum obtruncatus antea Ioannes fuiſſet, quia locutus. In praua itaq; ſententia obſtinatus atq; peruicax, veſte alba reum indui jubet, vtq; luſus tanto eſſet hilarior, in eum ſic jculariter indutum licere omnibus omnia voluit, quæ illis vel petulans libido ſuggereret, vel principi placendi aſſentatio inueniret: quibus modis Imperatorem mundi DEVM impius Tyrannus excepit, dum prodigij alicuius exſpectandi tœdio affectus, portentum exhibet ipſe: nempe innocentiam rarò in mali principis aula fulgentem in alba veſte, ſuo indutam colore oſtentat, & regnatori pœnarum ſeruit, atq;

Veſte albâ illuditur IESVS.

ei in pœnam, etiam integritatis insignia stolidè conuertit: ô flebiles rerum vices? Siccine vestimenta alba sicut nix, iterum te bone IESV, transfigurant, & Dominum declarant non gloriæ, sed stultitiæ candidatum! ita impurissimi Regis in aula, DEI sapientia pro stultitiâ est, de quo non immeritò quæstus olim fuisse per prophetam legitur, dicens: *Omnes videntes me, deriserunt me, & locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Psal.* 21. *Factus sum omni populo meo in derisum* Thren 3. Verùm enimuerò siue alba siue coccinea colore fuerit, vestis illa, certum est non fuisse nouam aut tersam, sed veterem vilem & abjectam, ex ædium scrutis protractam, quæ minimam prioris elegantiæ formam retineret, adhibitam autem ab Herode, eiusq; ministris, non ornandi, aut commendandi causâ, sed illudendi subsannandiq; IESV, qui fatuâ potius simplicitate, quàm superbâ audacia regium sibi nomen vindicasset. Porrò hæc alba vestis, quâ illusus fuit IESVS, fertur asseruari Romæ in templo sancti Ioannis Lateranensis: Nunc autem ob eius reuerentiam sacerdotalis vestis facta est *alba*, & si Iudæorum Sacerdotes Ephod lineo vterentur, inter quæ autem ludibria CHRISTVS jam ante ita candidatus viam ex Herodis aulâ in prætorium Pilati relegerit, pio lectori considerandum transscribo.

Alba vestis Romæ asseruata.

CAPVT IV.

Reductus ad Prætorium IESVS ad columnam deligatus, virgis cæditur, ac flagellatur.

I.

REmisso ad Pilatum D. IESV non destitit Præses afflictissimo reo pro viribus opitulari? *Quid igitur inquit, faciam de IESV, qui dicitur CHRISTVS?* Sed surdis auribus canebat Pilatus, clamabant omnes: *Crucifigatur.* Atrox sanè supplicium, summæ conjunctum infamiæ, scelestissimis simul & vilissimis hominibus vsitatum, ad quod in cæteris vel maximè spectasse credendi sunt, vt nemo deinceps reperiri posset, qui hominis tam probrosa morte exstincti nomen agnoscere, ne dum se eius profiteri discipulum audeat. Displicuit Pilato manifestus liuor, neq; tantum à se impetrandum nefas, sed dimittendum potius innocentem ratus. Tertiò dixit ad illos: *Quid enim mali fecit iste?* ob quod mereatur crucifigi?

Crucis supplicium maximè infame.

crucifigi? verùm enim verò, quò magis nitebatur IESVM absoluere, eò magis infestis atq; inimicis clamoribus vrgebant, vt illum in crucem ageret, quem nulla culpa illo digna supplicio grauabat, quod his verbis concinnè expressit noster S.V.Beda *quia totam accusationem quam aduersus Dominum detulerant, crebrâ ac solicitâ Pilati interrogatione videbant euacuatam: tandem impudentes ad solas se preces conuertunt, vt quod criminando & quasi rationando nequiuerant, jam postulando & vociferando perficiant.*

II. Dum autem hæc in prætorio coram Pilato geruntur vxor eius cui teste Fl. Dextero in chronico nomen erat *Claudia Procula* nocturnis visis commotior, quæ illi ab vno Angelo, vt PP. sentiunt non pauci, objecta fuerant, ad Christi innocentiam marito declarandam, misit ad eum ex Ephebis aliquem, qui sedenti pro tribunali suggereret: *Nihil tibi & justo illi, multa enim sum passa hac nocte propter illum.* Fortassè veris flagellis verberata est ab Angelo, vt moueret Pilatum, & reuocaret à flagellando CHRISTO, quod tamen consilium ille spreuit, siue muliebre phantasma ratus, siue clamore populi exterrefactus. Addit autem Origenes, Chrysostomus, & Theophylactus, mulierem hanc ad sacra nostra conuersam esse, suntq; non pauci, qui probabili conjecturâ existiment, hanc Claudiam Proculam esse eam, cuius mentionem facit S. Paulus scribens: *salutant te* Eubulus, & Pudens, & *Linus & Claudia*; conueniunt siquidem nomen & tempus, & religio, & locus. Nam in vrbe hæc epistola scripta est, vbi vxorem Pilati, quando illo Lugdunum missus in exilium fuit, remansisse credibile est, obcultus disparitatem.

Claudia Procula vxor Pilati.

Christiana facta.

2. *Tim.* 4.

III. Pilatus ergò insontem militibus tradidit flagellandum. Qui de numero horum militum lictorum officio fungentium inquisierunt, quatuor eos fuisse voluerunt, *ex Ioann.* 19. 28. quanquam alij vt S. Vincentius, Philippus Diez &c. sex fuisse opinentur. Insuper conuocarunt, in atrium prætorij vniuersam cohortem, è quâ ipsi erant, id est, omnes commilitones suos. Erat autem cohors, decima pars legionis, continens quinquaginta manipulos, hoc est 1250. milites. Siquidem manipulus 25. milites continebat licet alij decem solummodo milites, singulis manipulis attribuant, ita vt cohors sit. 600. dumtaxat militum: vt vt fuerit, hoc certum est, Cohortem, cuius hic mentio fit, fuisse eam,

Quot milites flagellârint Christum.

Cohors decima pars Legionis.

quæ dicebatur Prætoria. fac Præſidi in prouinciâ præſto aderat ſemper, partim ad fores Palatij, partim in arce Antoniâ, ob metum ſeditionis populi excubando, eratq; ea, quam nocte ſuperiore ſecum ad comprehendendum IESVM eduxerat Iudas, conſtans, vt multi docent, Brutijs, ſeu Picentibus ſeu Lucanis, nam hi à Strabone, ijs conjunguntur, diabolo vt ſcribit S. Ioan. Chryſoſt. omnes quaſi ſigno dato ad choream concitante.

Tria conſideranda in flagellatione

IV. Hic potiſſimum tria nobis conſideranda videntur: primùm imitis illa ac miſeranda veſtium detractio: ſecundò indigna ad columnam alligatio: Tertiò ipſa grauiſſima ac fœda tenerrimi corporis laniatio. Columnam verò flagellationis duplicem fuiſſe inuenio, quarum altera in templo ab Helenâ Auguſtâ ædificato, multo tempore ſtetit, Eccleſiæ porticum ſuſtinens, quam B. Paula, teſte S. Hieronymo CHRISTI ſanguine infectam iſtic inuenit, nunc autem in partes varias diuiſa eſt, quarum alia Romam ad S. Petri Baſilicam, alia Venetias, alia ad Raguſinam Rempub. alia ad Regem Hiſp. miſſa dicitur, alia deniq; Hieroſolymis ad ſolatium peregrinorum in ſacello B. Virginis de apparitione ſeruatur. Altera verò columga Romæ in templo S. Praxedis religiosè colitur, quam Cardinalis columna ad hanc Eccleſiam, cuius titulum obtinebat, aduexit, poſtquam Hieroſolymis reuerſus eſſet, quo ab Honorio miſſus fuerat vt Chriſtianorum exercitui contra infideles adſiſteret, Anno 1223. Prior, oblonga erat, qualis neceſſaria erat ad Eccleſiæ porticum ſuſtinendam, altera breuior, alttiudine ſcilicet trium palmorũ & dodrantis; ad vtramq; flagellatũ Dominum in Pilati Prætorio exiſtimant multi ij præſertim, qui bis iſtic cæſum eſſe arbitrantur: ſemel antequam morti adiudicaretur, iterùm verò, poſtquam Iudæorum furore & imanitate impulſus Præſes, prolatâ in eum crucis ſententiâ, militibus rradidit crucifigendum. Cuiuſmodi non tantum huius noſtræ ætatis ac temporis Scriptores varij ſunt, ſed & ſuperioris fuêre non pauci, inter quos & S. Ioannes Chryſoſtomus nominari ſolet. Verùm quod bonâ eorum veniâ dictum velim, ſemel tantùm apud Pilatum flagellatus eſt IESVS: apud Caipham verò, vti & nos ſuprà meminimus, eâ nocte quâ captus eſt ad columnam ligatus, illuſus & cæſus probabiliter dicitur, vbi maiorem illam columnam, de quâ S. Hieronymus, alijq; loquuntur, ſacratiſſimi corporis

Columna duplex.

Chriſtus bis flagellatus creditur.

Ieſus etiam nocte flagellatus.

poris sui sanguiue consecrauit, posteriore solâ existente, ad quam Pontij Pilati imperio à militibus flagellatus fuit, quæ illa ipsa est, quæ Ierosolomis in Prætorio fixa, & immobilis hærebat, ad quam rerum capitalium damnati, fustuario aut flagellis quotidie cædebantur, eius nempe formæ atq; mensuræ, ne si altior foret, ministris impedimento esset, quo minùs commodè damnatos, tam ab anteriore, quam posteriore corporis parte cædere possent; eratq; eius vertici infixus annulus, cui reorum manibus insertis omnem in partem corpora versabantur, vti clarissimè patet in eâ quæ etiamnum Romæ in S. Praxedis Sacello, quod hortus Paradisi dicitur, integra persistit, materiâ, formâ ac colore plurimùm difformis.

Columna flagellationis Romæ.

V. Ergò flagellatus est & quidem dirissimè orbis conditor. B. Vincentius illud Isaiæ 53. *Disciplina pacis nostræ super eum* expendens, instrumento triplici censet flagellatum virgis viridibus, & spinosis, deinde loris nodosis, filo ferreo intextis, seu catenulis. Id penè omnes sentiunt, flagris è funibus aut loris cum oscillis cæsum. Virgæ honestiorum, flagra mancipiorum erant supplicium. Porrò flagellationis iste modus, sine omni modo & lege fuit. Legibus Diuinis olim ita imperatum: *Sin autem eum, qui peccauit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensurâ peccati, erit & plagarum modus, ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedat: ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.* Hinc Hæbræis nunquam nisi solum triginta nouem ictus infligebantur, ne vnquam plagarum numerus lege definitus excederetur.

Triplici instrumento flagellatus est Christus.

Deut. 25.

VI. Lex ista neutiquam seruata in CHRISTO, qui à Romanis flagellatus, & plagarum numerus excessu nimio auctus. Conati sunt aliqui ictus verberaq; ad calculum reuocare, vnde B. Birgitta CHRISTI flagellati quinquies mille quadringentas septuaginta quinq; plagas numerat. Nostra B. Gertrudis simili ferè numeratione ictuum quinq; millia quadringentos sexaginta sex colligit D. Bonauentura quinq; millia, sexcenta, septuaginta & sex. Ludouicus Granatensis, quingentas supra quinq; millia. Alphonsus Horospuus ad 5370. Ioannes Aquilanus CHRISTVM scribit ad columnam 6666. plagis cæsum ex S. Bernardo, cui id de cœlo nunciatum ait. B. Vincentius ossa humani corporis ducenta septuaginta sex asserit è medicorum sententiâ: CHRISTVM verò ita flagellatum ait vt cuiuis ossium plaga triplex infligeretur,

Quot ictus flagellationis Christi fuerint?

Ioanne Lanſpergio atteſtante vir fuit ſanctimoniâ vitæ clarus, qui DEO reuelante didicit, ſiquis quotidie per viginti annos, in honorem ſanguineæ flagellationis, centies Dominicam precationem repeteret, ſubductâ ratione, vnâ duntaxat precatiunculâ, quamlibet ſanguinis guttam tantis tamq; enormibus flagellis expreſſam, honoraret. Summa itaq; guttarum juxta eorum calculum aſcendit ad numerum ducentarum triginta millium & quinque. Auguſtinus, Prudentius, Beda docent, vinculis ſolutum CHRISTVM Dominum in terram proſtratum fuiſſe; pectusq; plagis liberum grauiter flagellatū. Itaq; perfectum eſt quod Iſaias præuidit cum dixit cap. 53. *Poſuit in eo* (DEVS Pater) *iniquitates omnium noſtrum, & ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina enim pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.*

VII. Eat nunc quis & interroget. *Quare ô Domine IESV, rubrum eſt indumentum tuum ſicut calcantium in corculari?* Aſperſus eſt, inquiet, ô homo, ſanguis peccatorum tuorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea ſceleribus tuis contaminaui. Spectaculum grande exclamat noſter Tuitienſis Abbas Rupertus mundo, angelis & hominibus, vt ex ſeruis peccati Princeps libertatis ſeruilibus modis flagellisq; cæderetur.

IX. Hoc ſacrum flagellationis CHRISTI myſterium complures pietate & ſanctimonia clari viri & mulieres ſibi ſumpſerunt colendum. Quod exercitium non ſolùm DEO gratum eſt, ſed etiam ipſum cælum plaudere, ac terram faciat magna admiratione complere cæleſtibus gaudium, hominibus afferat & ſalutem, teſtabitur id ipſum noſtra B. Mechtildis, quæ dum precibus operam daret, concentum audiuiſſe muſicum ſcribitur, non chelis aut citharæ fidibus percuſſis reſonantem, ſed flagrorum ictibus, quos moniales ſancto huic operi intentæ exprimebant, ad cælos vſque pertingentem: vnde lætari Angeli, fugere dæmones, animæ piacularibus flammis addictæ mirandum in modum viſæ recreari.

S. Mechtildis.

X. Sed quid? & ſacra Præſulum purpura hos ſpiritus alit, teſtis noſter S. Laurentius Dublinienſium Epiſcopus, qui regiâ ex ſtirpe oriundus, à familiari ſuo ter in dies ſingulos acrium ictus virgarum tergo excepiſſe legitur. Noſter itidem S. Thomas Cantuarienſis Præſul, qui poſt initum epiſcopatum, ter quotidie à

S. Laurent. Epiſc. S. Thomas Epiſc.

Diacono

Diacono suo flagellis cædi voluit. Portenti simillima sunt, quæ B. Petrus Damiani de nostro S. Dominico Loricato scribit, qui ferè diebus singulis duo psalteria modulando, vtraq; manu scopis armatâ nudum corpus excipiebat. Et hoc remissiore quidem tempore, nam quadragesimalibus circulis, siue cùm pænitentiâm peragendam haberet (crebro enim centum annorum pænitentiam suscipiebat sex diebus absoluendam, quæ viginti psalterijs cum disciplinâ decantatis constabat) tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus affligeret, tria psalteria meditando persoluebat.

S. Dominicus Loricatus.

CAPVT V.

IESVS cum Barrabâ impiè confertur, ac latroni contumeliosissimè posthabetur.

I.

HAbebat Præses *tum latronem insignem*, quem absoluere nulla mansuetudo, nulla clementia poterat, cui is antelatus, saltem per ditissimo sacrosancti diei priuilegio, seruaretur. Ergò vt justum ex vnguibus ferarum subducat, seditiosum supponit, imbutum sanguine homicidam, & populo sitienti cruoris, cruorem propinat: optionem itaq; de duobus vinctis CHRISTO & Barrabâ populo Iudex proponit: *Quem vultis*, inquiens, *dimittam vobis, Barrabam, an IESVM, qui dicitur CHRISTVS?* O cælum? O superi! ergò cum latrone componitur innocentia? hinc Deus hinc Barrabas parricidâ judicantur? O inauditam sæculis omnibus comparationem? Dei Filius cum Filio diaboli lux cum tenebris, vita cum morte? Quanta hæc Domine IESV humilitas tua? quàm grauis depressio celsitudinis tuæ? qui cum tantus esses omnium benefactor, cum peculatore nefario, homicidaq; componeris, numquid cum Propheta dicere poteras: *Cui assimilastis me, & adæquastis.*

Christus Barrabæ collatus posthabetur.

Esa. 40. 29.

II. Sed quid hoc velle dixerimus, quod Prætor non solùm, nec cum alijs multis collatum, sed cum vno tantùm, eoq, non quouis, sed homine sceleratissimo, atq; omnibus exoso, turbis proponat? cuius proinde liberationem poscere tam inhonestum populo foret, quam iniquum: Barrabam, inquam, communem gentis Hæbrææ calamitatem; ciuitatis hostem, atq; eorum sce-

lerum

lerum manifestum designatorem, quæ maximè rempublicam destruunt, & bonos omnes affigunt, vt est seditio, nec illa quidem simplex, sed cruenta nec singularis, sed & homicidio adjuncta, æquiparando ei IESVM virum bonum ac sanctum, quem beneficia multa, publico vtilem, ac de plurimis optimè meritum oppido commendabant, accusatum equidem à Principibus, sed falso, vel certè temerè ipso & judice attestante. Quæ omnia sic ab illo instituta esse credenda sunt, vt ea velut clarissimâ antithesi populum officij sui, commonefaciens, Principum contentionem frangeret, & quiduis potius, quam homini vitam concedendam esse doceret, cui mors etiam grauissima debebatur.

Iudæorum ingratitudo.

III. Et certè debuerat populus iste tum criminum illorum atrocitate quorum Barrabas reus erat, tum beneficiorum multitudine, quibus CHRISTVS in omnes pridem excelluerat, vel pudore inæquitatem flexus fuisse, tum verò vel maximè, quod adderet Præses, eam à plerisq; illorum CHRISTVM, siue Messiam dici, quod ego nequaquam Pilatum addidisse reor cum Origene, quasi Barrabas etiam dictus fuerit IESVS; sed quod in maximum eorum dedecus atq; infamiam cessurum esset, sitq; pro CHRISTO ac Rege habuissent, aliquando, cum possent, à morte non eripuissent: agebatq; autem hæc omnia Pilatus tanto studiosiùs, quantò clarius ante perspexerat, *quod per inuidiam tradidissent eum.*


IV. Sed oleum & operam omnem perdidit infelix Iudex: quod mox patuit, cum intellectum est apud hos barbaros, Deum non pluris fuisse, quàm Barrabam cuius nomen hominis diuinæ est nomen injuriæ, cuius impuri sicarij vixit fæditas, vt prærogatiuæ viuat indignitas, cuius supplicij salus, ipsa mors fuit salutis. Principes enim Sacerdotum, reliquiq; magistratus in omnem partem dimissis ministris suis, populum tam promissis, tam minis, extra modum vrgebant assiduè, vt Barrabam sibi dimitti flagitarent, *IESVM verò perderent*: quorum factione comota plebs, ad Pilatum reuersa, vt agat juxta morem diei festi, sedulò instanterque contendit. Nam contra omnem Præsidis expectationem vnanimiter exclamant: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam* scilicet is nobis gratior, atque acceptior futurus est: in sceleris regno, Innocentiam præferri non decuit.

V. Quem-

V. Quemadmodum itaque oppreſſerunt Innocentiam, ita ſceleſtum abſoluunt, vt omnes juſtitiæ partes impleant quia puri ſanguinis delectabantur effuſione, Barrabam liberant, CHRISTO obſtrepunt, vt qui ſceleratis par futurus erat in ſupplicio, ijſdem inferior eſſet in judicio. Corrupta hominum judicia! quàm potens odij atq; inuidiæ affectus! vt nullo æquitatis habito reſpectu, in manifeſtam injuriam ſuffragia ferant. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.* Latronem eligunt, & hunc vitæ auctorem, indignum vitâ proclamant. Sicarium malunt, quàm eum, qui ſanguine ſuo ſaucios ſanat, & mortuos vitæ reddit. Quænam hæc Iuſtitia? Innocentiam perimere, & flagitioſum abſoluere. Barrabam præ Chriſto eligunt.

VI. Mirabile Parallelon CHRISTI Barrabæ qui à S. Ioanne dicitur *latro* à S. Matthæo *vinctus inſignis* à S. Marco *ſeditioſus & homicida* à S. verò Lucâ *propter ſeditionem factam in ciuitate & homicidium in carcerem miſſus* deſcribitur: CHRISTVS verò & à Pilato *innocens*, & ab Herode *causâ mortis vacans*, & ab vxore Præſidis *Iuſtus* declaratus eſt: & tamen ingens mentibus Iudæorum offuſa caligo, de ſtagno liuoris atq; inuidiæ exhalans, ijs nebulis illos inuoluit, quibus occæcati tenebras pro luce, pro gemmis ſilices, pro auro lutum amplexi ſunt. Chriſti & Barrabæ collatio.

VII. *O cæcitas Iudæorum* (exclamat S. Auguſtinus.) *ô furia phrenetica, noli dimittere hunc, ſed Barrabam! quid fuit hoc aliud dicere? quam occidatur ille, qui ſuſcitat mortuos, vt dimittatur latro, vt occidat viuos.* Et lib. 3. de Symb. *Quid fuit hoc aliud dicere, quam occidatur CHRISTVS Saluator, quia ſuſcitauit mortuum, dimittatur latro, vt iterùm perpetret homicidium.* Fortiter autem atque neruoſe eoſdem aggreſſus S. Leo magnus, ſic loquitur: *Inſanum certè cruentumq; conſilium inijſtis tauri pingues, vituli multi, frementes beſtiæ, canes rabidi, vt morti auctorem vitæ, & Dominum gloriæ traderetis, & tanquam extenuanda eſſet furoris veſtri immanitas, ſi eius ſententiâ, qui prouinciæ veſtræ præſidebat, vteremini, vinctum IESVM ad Pilati judicium adduxiſtis, vt clamoribus impijs trepido cognitore ſuperato, interfectorem hominum eligeretis ad veniam, & Saluatorem Mundi peteretis ad pænam.*



PARS V.

CAPVT PRIMVM.

De Arcu Pilati, in quo CHRISTVS Dominus Spinis coronatus populo ostensus fuit, & à Pilato dictum ECCE HOMO.

I.

Arcus Pilati qualis locus.

LOcus iste est pons siue arcus eleuatus supra viam Crucis, qui duobus fulcitur muris, altero, qui sinistrã partem viæ claudit vel facit; altero, qui ad dexteram, sed vltra murum viæ; nouo namq; muro videtur partitus. Supra arcum locus est, velut porticus, sed nunc sub dio; vbi sunt, duo minores arcus, siue vnus magnus; ferè interiori sustentanti respondens, paruâ columnâ diuisus: quâ velut duæ fenestræ efformantur. Hinc est prospectus ad orientem & occidentem vrbis, ad domum Pilati, & portam judiciariam. Ascendimus ad eum ex domo proximâ, imò ad eum spectante: distat ab æde Pilati, quantum jacit arcus.

Christus ioculari purpurâ exornatur.

II. Cùm ecce à Principibus Sacerdotum ad necem postulatus, jubente Præside, vt vile mancipium flagris, vitâ tantum non fugiente concisus, mortem vix dum effugerat; quare militibus permissus, ne quid fortè regifici nominis in eo residuum superesset commentitiæ purpuræ palliastro exornatur ad risum, cùm Rex jocularis creatus, cui circumiecta purpura non decorem in corpore, sed ruborem pareret in vultu, ab omnibus subsannatur. *Et chlamydem coccineam circumdederunt ei*, ait S. Matthæus 27. seu *pupuream*, vt habet S. Marcus cap. 15. aut certè *vestem purpuream*, vt S. Ioannes cap. 19.

III. Cæterùm an statim post flagellationem coronatus sit, & vestes suas quibus ad flagellationem exutus fuerat, non induerit ante ludificationem: an verò vestimentis suis post flagellationem indutus, denuò nudatus sit, cum purpureâ veste ludicrè circumdatus est, non satis liquet Et S. quidem Matthæus hisce verbis, *exuentes eum* significare videtur, exutum denuò fuisse, veluti Pilato post flagellationem sententiam differente, CHRISTVS vestes



ANTE PEDES SONTIS IACET INSONS IVDICIS AGNVS;
HEV QVIS PRIVAVIT LVMINE IVSTITIAM?
AGNVS VBI SÆVI PRÆ SE FERT ORA LEONIS,
QVAM SÆVIS PONTIS DIRIPIERE MODIS. 4.

vestes suas iterum induerit, quibus postea milites cum eis lusus iste incidisset, illum denuò exuerunt. *Cùm exueretur*, inquit S. Athanasius, *Dominus, eo ipso inuisibiliter erigebatur de diabolo trophæum*: & quo illud manifestum fieret, narratur à Ioanne, *purpureâ*, à Matthæo verò & Marco *chlamide coccineâ* fuisse indutus. En dilectus, tuus ô fidelis anima, ante in alba candidus, nunc in purpurâ rubicundus est, eleua nunc mentis oculos, & vide, si tunica sponsi tui hæc sit, an non? ecce vt fera pessima tractauit fratrem tuum, sponsum tuum. Apud Herodem albâ spernitur, nunc autem apud Pilatum purpureâ veste deluditur, vt hic suis opprobrijs atq; injurijs, innocentiæ nos candore & charitatis purpurâ conuestiret: qui finem diligit, media non negligit, vnde factum, vt sacri DEO mystæ, dùm ad aram faciunt, & veste albâ, seu togâ lineâ, & super eam casulâ siue planetâ, quæ rubei coloris ab initio fuisse legitur, prudenter induantur in memoriam scilicet vestis purpureæ, quâ impij milites Dominum ad illusionem induerunt, vt auctor est sanctus Germanus in theoriâ, Bartholomæus Gauantus & alij.

IV. Hactenus sacro capiti parcitum fuerat, vt, quoniam caput omnium functionum cum animi tum corporis disceptator atq; arbiter esse putatur, vnum esset quod vniuersitate dolorum ac seruatâ, atq; ad vnius arbitrium relata totius corporis cruciatus saniore, hoc est, acriore judicio æstimaret: quare nunc spinas acerrimas punctu venenato, virosoq;, tortili nodo in orbem complicatas, sacro vertici infodiunt: quod Pilatus, teste S. Augustino. *Aut permisit eos facere, aut jussit.*

Christus Spinis coronatur. *Tract.* 10. *in S. Ioan.*

V. Indagant aliqui paulò curiosiùs, ex quo Spinarum genere hoc sertum CHRISTI sit contextum. Sunt qui juncos marinos hic vsurpatos censeant. Plerorumq; sententia est fuisse sertum & Ramno. Frequens hoc est veprium genus in Palæstinâ, plenum aculeis, ericio simile. Nec contradicunt serti huius fragmenta, quæ Parisijs in Sacello sacro, in Hispanijs in cænobio de Spinâ, in Belgio Louanij seruantur, iunco dissimilia. Rex Galliarum D. Ludouicus, cùm sacra hæc lipsana Parisios deferret, vrbis Præsulem nudis pedibus, oculis humentibus habuit obuium,

Quales hæ Spinæ.

Qualiter S. Ludouicus coronam Spineam acceperit?

VI. Itaq; factum est, vt quidquid vulnerariæ grandini residuum fuit, fuit autem Diuinum illud caput, Gymnasium sapientiæ, regia honoris, honos gloriæ, omnibus infulis ac tiaris augustius,

ſtius, populatricium plagarum architectæ ſpinæ depaſcerent, ac per ſæuiſſimam atrocitatem direptis crinibus, perforatis temporibus, peruadentibus ad intimas cerebri medullas ſentibus acu minatis, nihil omninò florens relinqueretur in Nazareno. Quod mihi probabile fit, quamuis paradoxum videatur multis ex eâ, quæ Atrebati Spina ſeruatur quatuor digitorum craſſitiam longitudine exæquans. Vnde Petro Doultremanno S. I. viro doctiſſimo dubium non eſt, quin cranium ipſum fuerit perforatum, & vtraq; membrana, ſeu Meninges pertuſæ & laceratæ, quod lethale eſt, velut ante non obſcurè id docuiſſe viſus eſt. B. Laurentius Iuſtinianus; vbi ſic loquitur: *Debuerat planè mori tanto dolore transfixus, ſe tamen reſeruauit ad vitam, vt his etiam grauiora perferret.* Teſtatur certè Agatha à cruce, diuinitùs edocta CHRISTVM in illo ſupplicio ſæpius præ dolore oculos clauſiſſe, & oculta velut morituri ſuſpiria edidiſſe.

Atrebati ingens Spina.

Cap. 12. de agonic.

VII. De aculeorum numero in hac plectili corollâ nil liquet. Beatus Vincentius Spinas ſeptuaginta duas, alij plures numerant. Diuini libri & D.D. hic ſilent. Sat conſtat, Spinarum fuiſſe plurimas. Nam & hortenſes ſepès texuntur Rhamno, cui multi oblongi, præacuti ac robuſti ſunt aculei. His ipſum cranium cenſent aliqui perforatum, vtraq; Meninx (vix dubium) pertuſa & lacerata, quod lethale; Credibile complures ex his Spinis loco vno ſubijſſe cutem, cruentas altero emerſiſſe. Nam capiti vi magnâ impactæ, & velut inſutæ, venis neruiſq; traiectis, fluentibus vndequaq; riuulis. Hic Angelorum aliquis diſceptare poſſit, maior ne fuerit cruciatus dumoſi huius diadematis, an ignominia & ludibrium? certatum prorſus eſt inter dolorem & ludificationem.

Quot aculei ſpinarum fuerint in Coronâ Chriſti.

VIII. *Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo.* In Thaboris cacumine, quàm amenos radios jaciebat hic vultus, qui jam liuore ſqualidus, ſanguine perfuſus, ſputis fædatus. Et tamen illic, ô bone IESV, in Thabore tribus duntaxat diſcipulis veſtium tuarum formoſiſſimam niuem, & tui vultûs amæniſſimum ſolem exhibebas, hic verò cùm totum corpus tuum vulnus & vlcus vnum eſt, Lacerum & vetus veſtimentum, ſceptrum ridiculum, dumoſum capitis ludibrium, omnibus Hieroſolymorum ciuibus publicè ſpectandum te præbes. O quale mi DEVS, ſpectaculum, quàm lachrimabile & perluctuoſum.

IX. Cert

IX. Certè quot ſpinarum acumina, tot mortes: nec enim corona ſerti inſtar paruuſa aut exilis fuit, ſed lata & ampla, ita docet Gabriel, tradens eam fuiſſe ſimilem coronæ Imperatoriæ, quæ caput cingit & tegit. Idem habet Ioan. Echius, Ioan. Lanſpergius, aliq; dum coronam hanc complexu ſuo non ſolùm, circulari, ſed rotando etiam, totum caput in modum pilei volunt ambiuiſſe, vt vertex non minùs, quàm tempora ſpinis tegerentur: vnde quid afflictiſſimo IESV conſectaneum fuerit, ipſa virgo Mater eius triſtiſſima B. quondam Birgittæ cæleſti oraculo nunciauit: *Corona ſpinea*, inquiens, *capiti eius arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis vſq; deſcendebat, plurimis riuis ſanguinis ex infixis aculeis decurrentibus per faciem eius, & crines, & oculos & barbam replentibus, vt quaſi nihil, niſi ſanguis, totum videretur. Corona namq; ſpinea*, vt refert B. Bernardus, *non leuiter impoſita fuit, ſed inuidè impreſſa capiti dulcis IESV: ſatis enim conſonat veritati, vt qui oderant veritatem, non ſolùm opprobrium illius requiſiuerint, ſed etiam ſupplicium.*

Tract. de Paſſ.

Forma Coronæ ſpineæ

Lib. 4. reuel. cap. 40.

Tract. de Paſſ. c. 39.

X. Ad ſpinas verò ac ſentes, quibus moleſta hæc ac cruciaria Corona, velut horridis quibuſdam pilis fructificauit, quod attinet, nullum me notæ alicuius ſcriptorem legiſſe memini, qui certum eorum numerum iniuiſſe voluit, præter ſanctum Vincentium, cuius ſupra memini: plures autem qui plagas illorum percenſuerint & punctiones. S. Ioan. Chryſoſtomus, atq; ex eo ſanctus Bernardus mille numerant. Daniel Mallonius acuratè ſe in Dominicâ ſindone Taurinenſi contemplatum ſcribit duas ſupra ſeptuaginta guttas ſanguinis ſatis magnas, quas à ſpinea corona iſtic expreſſas autumat. Alij plura, alij verò pauciora vulnera recenſent. Petrus Calentinus in viâ crucis, Ioan. Aquilinus *ſerm. de Paſſ.* Adricomius in deſcript. Ieroſ. trecentas plagas numerant. Verùm vt quod res eſt apertè dicam, exiſtimo difficulter admodùm hic certi quippiam ſtatui poſſe, cùm de illo ſcriptum ſit nihil, & ex quo id ſequi debeat, ſcilicet an Corona ſpinea ſemel CHRISTO impoſita vnquam fuerit detracta, atq; iterum reſtituta, necdum ſatis conueniat inter auctores; Quidam volunt CHRISTO in crucem agendo ablatam quidem coronam, ſed mox in crucem acto reſtitutam fuiſſe nouo tormento. Ita B. Birgitta ſcribit à B. Virgine Deip ſibi dè cœlo nunciatum: *Quo facto, id eſt CHRISTO cruci affixo, aptauerunt Coronam de ſpinis capiti eius, quæ tam* vehe-

Quot plagas & punctiones per Coronam inflictæ.

Lib. 7. Reuel. c. 10.

vehementer caput Filij mei pupugit, vt fluente sanguine oculi eius replerentur. (Et l. 7. c. 15.) *Coronam de Spinis quam deposuerant de capite eius, dum crucifigeretur, iterum imposuerunt & aptauerunt capiti eius sacratissimo.*

XI. In summâ, vt vt res ista se habuerit, hoc certum, si aculeato hoc diademate, semel dumtaxat CHRISTI caput transuerberatum sit, paucioribus longè plagis vapulasse, quam si iterato spinarum agmine fuisset inuestitum, quando facilè eas duplicato crediderim increuisse: siue autem priore, siue posteriore modo contigerit, non absq; acerbissimo ac molestissimo dolore factum est, quem ita pijssimus Dominus sustulit, vt grauiorem quoque amore nostri paratus fuerit sustinere, testante Tertulliano lib. de carne CHRISTI: *Domini CHRISTI tempora lacerauerunt mortiferis quidem vulneribus spinæ, sed nouarum spinarum ardore sustentabatur amans.*

XII. *Coronatus est spinis* inquit S. Hieron. epist. ad Ocean, *vt nos qui antea spinei & infructuosi exstiteramus, fructum bonæ arboris apportemus, fiatq; in nobis, quod ille canit:*

Sæpe creat molles aspera spina rosas.

S. Benedictus per spinas carnis tentationem superat.

Huc refero quod de magno nostro Patriarchâ Monachorum Patre ac Duce BENEDICTO, S. scribit *Greg. l. 2. Dial.* Hic dum Romæ esset, fæminam quandam conspexerat, cuius dum in Eremo degeret, speciem ei malus Dæmon suggessit, adeoq; jam cor eius inflammauerat, vt de eremo deserendâ cogitare inciperet, cùm subitò supernæ gratiæ suffultus robore, in spinas se ac sentes, quibus ille plurimum locus abundabat, volutare cœpit, donec lacerato corpore voluptatis sensus dolore opprimeretur. Et vt

S. Franciscus spinas S. Benedicti in rosas conuertit.

quidem exinde jam plura lapsa erant sæcula, cum loci sanctitate pellectus minorum institutor Franciscus Sublacum peruenit: vbi statim, vt veprium spinarumq; fruteta conspexit, insolito pietatis ardore succensus exclamauit dicens: *Istæ non spinæ, sed rosæ sunt.* Exinde dum & attrectans & exosculans, demùm signo Crucis afficiens, in rosarium pulcherrimum diuinâ virtute conuertit. Quo factum est, vt deinceps ille locus in maiore haberi cæptus reuerentiâ sit, & vepretum vtriusq; Patriarchæ religione sacratum, miræ virtutis rosas produxerit, quæ multam vbiq; infirmitatum medelam attulerunt. Quam cælestem mirandamq; omnibus Metamorphosin perbellè quidam his versibus Poëta depinxit.

Virgi-

Virgineum sepit florem BENEDICTVS acutis
Vepribus, & proprij rore cruoris alit,
Hinc dumeta nouas tanto fæcunda liquore
Francisciq; manu culta tulere rosas.
Falsa quidem roseo cecinêre sè germine vates,
Sed latuit falso carmine vera fides.
Scire cupis rosei flos exeat vnde pudoris,
Sola rosas potuit gignere puncta Venus.

CAPVT II.

Cur Spinis coronatus CHRISTVS rationes variæ.

I.

PORrò CHRISTVS coronatur spinis, vt terra nostra maledicta, & captiua, tribulos & spinas germinans, spinis CHRISTI redimeretur, & solutâ maledictione, produceret flores lætitiæ. Sic Cyrill: *Mysterium erat corona, solutio enim erat peccatorum, dissolutio maledictionis. Secunda* spina, peccati effigies. Tolerat spinas, vt nobis spinas peccati euellat. An non peccator semper spinas in corde aculeatas, id est, morsus perennes circumfert. Sic docet Germanus Constantinopol. in sepulchro CHRISTI corona ex spinis plexâ ante crucem capiti imposita, confirmat dicentis verbum: *Confidite, ego vici mundum,* mundiq; Principem, portans peccatum mundi, peccati Symbolum spina est.

Cur spinis coronatus Christus.

Catech. 13.

II. *Tertia,* Quid sunt curæ, & solicitudines huius sæculi, quæ bonum semen Spiritus sancti suffocant, nisi spinæ, quæ animum perpetuò distrahunt, lacerantq; ? Benè ille Rex Persarum coronam Regiam cùm sibi videret deferri, exclamauit: *Quam fulges auro corona, quàm multis spinis obsita colluces?* Quid sunt aurum? gemma, & Orientis lapilli? nisi summi materies mali, spinarumq; ? Mergamus eas priusquam nos mergant. CHRISTVS illas spinas suscepit, vt suis spinis in libertatem nos vindicaret, vel saltem morsus, & puncturas temperaret.

III. *Quarta,* corona victoriæ signum, & ideò portas CHRISTVS Dominus, quasi victor coronam spineam. *Solent enim,* vt

ait Isidorus, *victores celebres, hoc ipsum telum, cuius ope victoriam sunt consecuti, in triumphum producere.* Sic armamus Herculem victrice clauâ & Dauidem gladio Goliath interempti; & omnes Sanctos suis trophæis; vt Paulum gladio, Laurentium craticula suâ. Sic CHRISTVS Dominus spineâ coronâ est redimitus in signum victoriæ, quia à vulnere opem, à dolore curationem, à lethifero hoste fulgentem tulit victoriam. Coronatur CHRISTVS vnâ coronâ spineâ, quæ omnes Romanas in suo sinu complectitur: eminet triumphalis; quia de rebellatis tribus hostibus, carne, mundo & dæmone magnificentissimè triumphat. Circumfertur & obsidionalis, quæ omnium nobilissima, dum mortales finitis, vndiq; malis obsessos, liberos facit. Pulchrè donatur & Ciuicâ, dum suos fratres factus homo ab instanti liberat morte, nullum faciens finem afferendæ vitæ. Donatur & murali, qui in cæli muros clausos primus insilijt, inuasitq;. An non etiam donatur Castrensis; quæ non datur nisi toto exercitu liberato? an non exercitus generis humani sub jugum æternæ damnationis mittendus, clausus vndiq; ab hostibus suis liberatus? Mirum dictu. Fuit & nauali donatus, qui Arcam Noë, in quâ erant octo animæ, in semen vniuersi; à diluuio seruauit; Qualem autem semper ostentabit victor CHRISTVS: & lauream & florentem; qui regnum, & regni triumphus stabit in æternum. *Et regni eius non erit finis.*

Epist. 95.

Christus coronatur octo coronis victorum Romanarum.

IV. Coronatur præterea CHRISTVS Dominus, tum quia Sacerdos sacrificans, tum quia victima. Apud Romanos enim, & Iudæos sacro ritu, & victima & sacrificaturus in Deorum honorē coronabantur: Sic Plinius. *Ferunt*, inquit, *omnium primum liberum Patrem imposuisse capiti suo coronam ex hædera: postea Deorum honoris sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis.* Vnde Sacerdos Iouis Paula sacrificaturus, tauros & coronas afferebat.

Sacrificans & victima coronata.

Plin. l. 16. cap. 4.

Act. 14.

V. Coronatus ergò spinis apparet Patrem placaturus tanquam victima, & Sacerdos: & coronatus spinis agit cum Patre de mundi salute, vt alter Moyses, de liberatione populi, cum Deo latente in rubo. Hanc victimam tot sæculis prælusit aries hærens in spinis, cùm Isaac esset immolandus Aries intricatus spinis, cedit in victimam Isaac liberato. An non Filius Dei nobis liberis immolatur. Deinde decuit & Filium Dei coronari. Decet enim Principem suo populo coronas triumphales parare: *Nemo autem coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.*

Christus sacrificaturus coronatur spinis.

Huc

Huc adsis paulisper & P. Ignatio.
Bomplano mecum te deprecante.

Intuere Principis, & DEI diadema;
Ille gemmas, hic spinas
Imponit capiti;
Ille ornatur, hic pungitur.
An quia ille alienum.
Hic suum elicit sanguinem?
Ille ferit, hic sanat?

An potiùs.

Exinaniuit seipsum Deus,
Vt Principem coronaret.
Majestas Principis
Majestas DEI est.
Ne ars dominandi sit ars vulnerandi,
Dat Principi gemmas.
Sibi vindicat spinas DEVS.

Et quales? non obtusas aut flaccidas:
Sed validas & acres, vt jam antedictum est.

CAPVT III.

Quomodo conseruata, & hactenus asseruata spinea CHRISTI Corona.

I.

AC. M. DC. XXV. edidimus Ingolstadij tractatum de SS. Reliquiarum cultu, veneratione & miraculis: in eo inseruimus integrum Caput de spineâ Domini Coronâ: sed quoniam nunc R. P. Hadrianus Lyræus S. I. in suo doctissimo opere de imitatione IESV patientis, historiam conseruatæ & venerabiliter hactenùs custoditæ coronæ Dominicæ fusè & copiosè descripsit, eam hîc quoq; inserendam duximus. Venio ad conseruationem, sacramq; custodiam tanti ac tam inæstimabilis thesauri, quem

Lib. 2. c. 5. *Lyr. l. 3. cap. 6.*

ideò diuina bonitas nobis in hoc exilio reliquum esse voluit, ne vlla nos tam excellentis beneficij aliquando caperet obliuio, & Cæsar quidem Cardinalis Baronius inquirens, quomodo Corona hæc in tantâ temporis calamitate & ærumnâ conseruari potuerit, ait Pollinctores ea quæ mortuis damnatorum corporibus inhæserant, vnà cum eis sepelire consueuisse, ex eo quod legis maledictioni, subjecta essent, quâ ratione ductus existimat, spineam Coronam sepulchro Domini inclusam fuisse.

Thom. 1. Annal. Corona cum cruce sepulta.

Ab Helena reperta.

II. Sebastianus Barradius censet eodem in loco cum Cruce & clauis sepultam esse, ibiq; ab Helenâ pijssimâ Principe repertam; quò autem exinde delata sit, aut quâ ratione ad Græcos deuenerit, alij inquirent, nobis in præsentiarum sufficerit, ad cultum sacri pignoris & tantæ charitatis mnemosynon, nunquam animo excidendum dixisse, Christianissimum Galliarum Regnum, maximiâ eius parte gloriari maximis eius Regibus Carolo Magno, ac Ludouico sancto tanti decoris ac gloriæ felicibus architectis.

Pars coronæ spineæ Parisijs seruatur.

III. Ad primum quod spectat, auctor est Helinandus in Historiâ, occupatâ jam atq; insessâ à Barbaris Hierosolymâ, Patriarcham ad Imperatorem Constantinopolitanum opis causâ conuolasse, à quo propter virium imbecillitatem juuari non posset, Legatos ad Carolum Magnum impetrauit, qui peterent ab eo, quandoquidem in hoc tempore tanto negotio vacare, tantisq; mederi calamitatibus nequiret, ipse pro suo in religionem Christianam zelo atq; affectu labentibus rebus succurreret Profectus cum dictis legatis in Franciam Patriarcha, ita Carolum commouit, vt is se Hierosolymam profecturum, & Christiano nomini illatas injurias vlturum, prolixè polliceretur, quod & Imperatori per litteras significauit, retento apud se Patriarchâ, quo duce ac comite in via vteretur.

Carolus Magnus Hierosolymam recuperat;

IV. Conscripto itaq; numeroso exercitu Hierosolymam appulsus, multis Barbarorum copijs cæsis, fusisq; vrbem feliciter recepit, Christianis qui ad montes, ac maritima passim ad loca se contulerant reuocatis, quibus deniq; firmo vbiq; præsidio, commeatu, armisq; probè munitis, Constantinopolim iter direxit, vbi Græcus Imperator Victorem Carolum honore maximo & beneuolentiâ complexus, obtulit ei ditiones suas omnes, vt ex eis quidquid vellet, optaretq; seligeret, ac disponeret pro arbitratu suo. Verùm Romanus Imperator, qui nec terras, neq; thesauros ambie-

ambiebat, vnum id à Constantinopolitano Imperatore petijt, vt sibi Coronæ spineæ, quam asseruabat, partem elargiri vellet, quâ sibi oppido satisfactum iridicebat.

V. Annuit illicò Græcus Imperator, jubetq; Patriarcham trium dierum ante indicere jeiunium: quo completo templum Imperatores adeunt, pedibus ac capitibus nudis ante Altare prosternuntur, vbi in capsâ aureâ Saluatoris nostri Corona seruabatur, multisque profusis lachrymis Dominum orant, vt parte aliquâ Coronæ suæ, quâ olim cruciari voluit, Occidentis Imperium beare velit. Quo dicto surrexerunt Imperatores, jusseruntq; Patriarcham aperire capsam, quæ simul ac patuit, tantam ex se odoris fragrantiam spargere cæpit, vt ea per vrbem totam sentiretur, ac plures trecentis, qui varijs infirmitatibus detinebantur, pristinam fuerint sanitatem consecuti. Ipsius verò Coronæ sentes illicò virere cæperunt, tantosque flores producere, vt ijsdem ex omni parte complerentur.

Constanti-nopoli partem Coronæ spineæ impetrat.

VI. Coronam diuidere cæpit Daniel Neapolitanus Episcopus, qui Imperatorem comitatus erat, & quo magis eandem diuidebat, eo magis floribus opplebatur. Ex his Carolus plurimos collegit, oculis præ gaudio lachrymantibus, alteramque è suis Chirothecam impleuit, atque Hebronensi Archiepiscopo custodiendam dedit, intereà dum alijs colligendis intentus esset. Archiepiscopo autem plurimis præ deuotione lachrymis diffluente, nec ad chirothecam oculos reflectente, nec Imperatore intento, num aliquis eam seruaret, lapsa est, dumque postea quæreretur, insolitum se prodidit miraculum, chirotheca enim, nemine eam tenente in aëre suspensa erat, virtute thesauri, qui in eâ claudebatur. Rebus omnibus peractis Imperator volens flores decentiori loco collocandos ex chirothecâ effundere, eosdem in præstantissimum manna conuersas inuenit, quod hactenùs in æde S. Dionysij religiosè conseruatur.

Corona spinea diuiditur, & pars in Occidentem defertur.

VII. Porrò dum sacra Corona diuideretur, erat in eadem S. Sophiæ æde, vir cæcus, surdus & mutus, quibus infirmitatibus jam triginta, ac duobus annis afflictus fuerat, hic dum Corona è capsâ extraheretur, visum recepit, quando diuidebatur audijt, cùm verò florere inciperet, locutus est. Quo facto adstantes gaudio & stupore repleti sunt, cùm viderent, renouata miracula temporis illius, quo CHRISTVS inter homines conuersatus est. *Hactenùs Helinandus.*

Miracula Coronæ spineæ.

Et altera quoq; pars Parisios deuenit.

VIII. Venio ad alterum, ſanctum ſcilicet Regem Ludouicum, quem, vt ſcribit Spondanus, cùm Balduinus II. vltimus Imperatorum Orientis auxilium flagitaſſet, oblatâ reliquâ parte Coronæ ſpineæ, quæ magna veneratione Conſtantinopoli ſeruabatur, illeq; miſſis eò fratribus duobus Prædicatoribus Iacobo & Andreâ, quorum Iacobus Prior iſtic ſuorum fuerat, ac ſæpiùs Coronam viderat eandem expectaret, contigit à Proceribus interim eam Venetis ingenti pecuniæ ſumâ oppignorari, eâ conditione, vt niſi intra terminum conſtitutum, ſcilicet, feſtum SS. Martyrum Geruaſij & Prothaſij redimeretur, eam ſibi veneti ſeruarent. Quod Ludouicus intelligens miſit actutum pecuniam Venetias, quibus Coronam redimeret. Redemptam Legati in Franciam detulerunt, quam vbi Rex Trecas deueniſſe intellexit, vná cum Reginâ & Fratribus in occurſum properauit, aſſumpto ſecum Archiepiſcopo Senonensi, & Bernardo Epiſcopo Aniciensi, cumq; ad portam vrbis Senonenſis Corona accederet, ipſe cum fratre nudis pedibus, ſolaq; indutus tunicâ, ſacrum pignus in vrbem deportauit, ac tandem Pariſijs in ſacello à ſe regio ſumptu exſtructo, alteri parti adjunxit, vt non immeritò iſtic ſacra Corona ſeruari dicatur, vbi maior & nobilior eius pars cuſtoditur, varijs interim locis eiuſdem Spinis non paucis venerationem & cultum obtinentibus ſingularem, quarum veritas ac ſanctitudo miraculis plurimis in hac vſq; diem comprobatur. IX. Ita teſte Franciſco Pico, in inſulâ Rhodo ſpina de hoc ſerto inuenta eſt, quæ annis ſingulis eo die, quo CHRISTI paſſionis memoria celebratur, accedente horâ illâ quâ CHRISTVS crucifixus eſt, tubere incipiebat, mox albus quidam floſculus in verticem paulatim exſurgens apparebat, qui horâ dilapsâ & ipſe deficere notabatur. Alia eſt, quæ ad Benedictorum Monaſterium S. Crucis Donawerdæ deuenit, vbi à Maximiliano I. Hierothecæ argenteæ incluſa ſpectatur, ac quotannis ferè ſextâ feriâ Paraſceues ſanguineis quaſi guttis rubeſcere videtur. In oppido quoq; Montoni, vna ex his ſpinis ſeruatur. Hæc quotannis ſtato Paſſionis Dominicæ die, cunctis videntibus & admirantibus floret. In Eccleſiâ Cathedrali agri Tiphernatis ſpectandæ longitudinis Spina ſeruatur, cui adhæret vnus de capillis CHRISTI Domini ſanguine illi agglutinatus, quæ in die Paraſceues, quâ horâ CHRISTVS ſpinis coronatus fuit, vireſcere incipit, ſanguis autem colliqueſieri & quod-

S. Spina in inſulâ Rhodo.

Donavverdæ.
Guiliel. Eiſengrein Cent. 1. diſt. 2.

Item Montoni.
Thō. Boz. tom. 2. ſig. 31.

Item Tipher.
Dan. Mal. cap. 11.

quodammodo ebulire, purpureumq; colorem recipere cernitur Coloniæ quoq; in Ecclesiâ graduum B. V. MARIÆ, duæ ex hac Coronâ spinæ seruantur, quæ ante plures annos in Eucharistico torali depositæ sanguinem stillarunt. X. De quibus, alijsq; non paucis ita S. Gregorius Turonensis scribit in hunc modum: *Ferunt ipsas Coronæ sentes, quasi virides apparere, qui tametsi videantur aruisse folijs quotidie tamen reuiuiscere virtute diuinâ.* Vnde jure meritissimo factum, vt in varijs locis atq; Ecclesijs dies festi in honorem sacratissimæ huius Coronæ fuerint instituti, ac primùm Parisijs ad diem vndecimam Augusti, quâ à Rege S. Ludouico istic fuerat recepta. Deinde Ratisponæ ad diem 4. May.

Item Coloniæ.

De glor. mart. c. 2.

Festum coronæ spineæ institutum.

CAPVT IV.

De Coronâ Ecclesiasticorum.

I.

APostolicâ traditione in Ecclesiam deriuatum est, scilicet vt qui à communi hominum vitâ recedentes nouum, siue exquisitius viuendi genus selegerunt, crine in modum Coronæ præciso sanctæ nouitatis admoneantur, fiatq; Clericis tonsuræ signum quoddam, quod in corpore quidem figuretur, in animâ verò perficiatur: quo fiat, vt in nobis vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuti, renouatis inde sensibus, vt comis rudibus enitescamus; *Exspoliantes nos*, juxta Apostolum *veterem hominem cum actibus suis, induentes autem nouum, qui renouatur in agnitione DEI*; quam renouationem in mente quidem fieri oportet, sed in capite demonstrari, vbi mens ipsa potissimùm dicitur habitare. Quod verò detonso capite, infra circularis Corona relinquatur, hæc caussa est, vt jugem ex animo memoriam Spineæ Coronæ capiti D.N.I.C. à Romanis olim militibus impositæ nunquam dimittamus: de quo ritu ita legitur apud nostrum V. Bedam: *Inter omnes, inquit, quas in Ecclesia, vel in vniuerso hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam, amplectendamq; jure dixerim eâ, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait. Tu es Petrus* & paulò post: *neq; ob id tantùm in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est, idcircò & nos, qui per eandem Passionem saluari desideramus, ipsius Passionis signum cum illo, in ver-*

Coloss. 3. 9.

De gest. Anglo lib. 5. c. 22.

in vertice, summâ videlicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia, quæ per mortem sui viuificatoris Ecclesia facta est, signum sanctæ Crucis in fronte gestare consueuit, vt crebrò vexilli huius munimine, à malignorum spirituum defendatur incursibus, & crebrâ huius admonitione doceatur, se quoq; carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifigere debere, ita etiam oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus necesse habent pro Domino se continentiæ finibus adstringere, formam quoq; Coronæ, quam ipse in Passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret, atq; auferret à nobis, suo quemq; in capite per tonsuram deferre, vt se irrisiones & opprobria pro illo libenter, ac prompto animo sufferre; ipso etiam frontispicio doceant, vt Coronam vitæ, quam repromisit DEVS diligentibus se, semper expectare, proq; huius perceptione & aduersa mundi, & prospera contemnere designarent.

III. Quorum affinia etiam tradit noster Albinus Flaccus de diuinis officijs, & itidem noster Rhabanus de instit. Cleric. & alij. Sed non omittenda monitio quam P. Sirmondus ad epist. 3. lib. 6. epistolarum Sidonij, non importunè suggessit. Tonsura, inquit, Clericalis, ita olim fiebat, vt circulus tantūmodò capillorū emineret, instar Coronæ, sic enim scribit S. Gregorius Turonensis de S. Nicetio, ab ortu suo hic Clericus designatus fuit, nam cùm partu esset effusus, omne Caput eius, vt est consuetudo puerorum, id capillis quidem nudum cernebatur: in circuitu verò mediorum capillorum ordo apparuit, vt putares ab ijsdem Coronam Clerici fuisse signatam. Hodie apud nos antiquam Coronæ formam soli ferè monachi retinent, nam breuis ille orbis in vertice, quo Cleri pars magna vtitur, insolens olim, atq; inusitatus fuit in Ecclesiâ: vt docet *Canon* 40. *Concilij IV. Toletani.*

S. Edmundus Episc. IV. Porrò quantopere Coronæ Spineæ doloribus communicarit noster S. Edmundus nobilis ille, Cantuariensium in Angliâ Præsul, satis docet visum matri eius Mabitiæ in somnis obiectum, quæ nocte quadam filium suum vidit coronam spineam ferentem in capite, quàm flammæ vndique succensæ incenderent, vt ad sidera vsque pertingere viderentur.

S. Francisca. V. Nostra quoque S. Francisca Romana, quæ sanctitatis odore non vrbem solùm, sed & orbem repleuit, inter cetera CHRISTI cruciamenta, Coronæ spineæ miro quodam modo afficie-

afficiebatur, idq; tali ſucceſſu, vt juxta conſiderationis eius modum, ſupplicij quoq; acerbitatem ſentiret, adeò vt in momenta ſingula moritura crederetur *In vitâ.*

VI. B. Ida Louanienſis ex ordine Ciſtertienſi, in ambitu capitis ſui ſigna gerebat externa, quæ ſpineo ſerto per CHRISTVM redimitam, vt erat Paſſionis Dominicæ amantiſſima, comprobabant. *Hagiol. Brab.*

VII. B. Lyduuina ſanctitatis magnæ in Hollandia Virgo, quæ jocis, conuitijs, ſputis, atq; injurijs non modicis appetita, tamquam pro ſingularibus quibuſdam beneficijs grates rependebat aſſiduas, dicens: illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum DEI, quorum plenitudo dilectio eſt, me currere compellunt. Viderat eadem virguncula in mentis exceſſu Coronam pretioſiſſimam, nec dum tamen in orbem planè conſummatam. Rediens ad ſe petijt pati pro CHRISTO, vt coronam abſolueret. Mox in Ducis Philippi apud Hollandos inauguratione, milites eius ad domum Lyduuinæ accedentes, miris eam contumelijs, ſannis, atq; conuitijs affecerunt, poſt quæ Angelus ſolis inſtar ſplendidus ad eam veniens, ſalue, inquit, ſoror chariſtima, ecce nunc abſoluta corona eſt, quam nuper inchoatam vidiſti, ludibria & vulnera corpori tuo inflicta gemmæ fuêre, quas in illâ coronâ & adeſſe vides, & deeſſe vidiſti. *Ioan. Brugman. in vitâ.*

CAPVT V.

Dominicæ dexteræ par ludicro Regno Sceptrum, *Arundo* inſeritur: pro plauſu alapæ, pro acclamationibus conuitia, pro ſalutationibus contumeliæ dantur.

I.

IAm vepribus funeſti ſanniones in caput innocentis IESV deſæuierant, cui vel leuiſſimi doloris ſenſus eſſe ſolet acerbiſſimus, nec diuinæ ſapientiæ veriti ſacrarium, verticem illam regnorum omnium gloriam, dumetis horrentibus vſq; quaq; transfixerant; cum vnum prætereà deeſſe ad regnum inſtrumentum animaduertentes, jocularis ſcilicet poteſtatis inſigne; manus illas præpotenti cælorum ſceptro graues, vnius arundinis ignominiâ complent: Chriſto arundo pro ſceptro datur.

Coccineâ chlamyde amicitur.

plent: quo stolide exultantes, cœlitum atq; hominum Regem, suffatum jam satis sanguine suo, coccineâ insuper chlamyde, tamquam regio paludamento amictum, arundineum sceptrum manutenentem, quasi ludicrum & adumbratum Regem, in sellâ collocant: (quam lapidem fuisse marmoreum scribit Adrichomius in formam sedis excisum, ac Romæ in Ecclesiâ S. Crucis religiosè asseruari testatur) & velut actores in fabulâ, aduoatâ in atrium vniuersâ cohorte Regem suum ambiunt, supplices ingenua procumbant, timidi venerantur. Tum verò quasi in scenæ catastrophe mutatâ personarum facie; ingenti omnium plausu, risuq; personante conuicijs atrio, ambitiosum scurram proclamant, exsibilant, explodunt: alio pugnis malas eius cædente, alio capillum distrahente, alio calcibus latera suffodiente: quod non obscurè ante prædixerat, cum de ascensu suo in Ierusalem discipulos commonefaciens, in cæteris, filium hominis tradendum istic gentibus, ad illudendum, non semel aperuit.

Variè illuditur.

II. *Acceperunt insuper arundinem ex dexterâ eius percutiebant caput eius*, tanquam stulti, vt scribit S. Thomas hunc locum explanans, qui scilicet fatuis modis ad regnum aspirasset. Reges olim accepimus consueuisse supplices in signum fauoris sceptro tangere, hîc contra, è manibus huius regis eo accepto ipsum verberant, non Regem, sed morionem proclamantes, ambitam Regis dignitatem in caput eius retorquentes, adeò, vt teste S. Ioanne Chrysostomo, non membrum vnum, sed corpus vniuersum atrocissimas injurias pateretur. Languebat caput afflictum coronâ, calamo pugni, facies sputis, maxillæ alapis, reliquum corpus flagellis, nuditate, amictu chlamidis, adoratione simulatâ; quid istis vel ad contumeliam grauius, vel ad sensum esse potest molestius?

Hom 88. in Matth.

III. Felicem Arundinem! quam meritò Tertulianus *lib. aduersus Iudæos*; *Nouum* vacat *noui Regis insigne*, nouæq; gloriæ potestatem ac sublimitatem. Et sanè jure optimo gemmis auroq; omni preciosior est, digna quam gemmeis calculis diuites Hierothecæ, ad posteros transmisêre, partem Andecensi cænobio superioris Bauariæ in Monte sancto custodiente, quam olim Maximilianus I. Imperator sceptro argenteo affabre elaborato includi fecit: Alteram vrbium principe Româ in Lateranensi basilicâ seruante, tertiam verò ad aquas Granij, Augusto Caroli sacrario possidente.

Arundo nouum noui Regis insigne.

Vbi asseruetur?

CAPVT VI.

CAPVT VI.

De coccineâ CHRISTI veſte.

I.

IAm atrociter ſatis luſerant, illuſerantq; mitiſſimum IESVM nefarij ſatellites, vt veriſſimam miſeriarum Regis imaginem, in immortali Deo per jocum exprimerent. Quare purpurâ CHRISTO injecta ſummo ludibrio, perinde ac ſi ei tanquam Regi populus Romanus regium hoc ornamentum miſiſſet, vt ita illius diuini ad populum ſermones & miracula publicè irriderentur. Hoc rubrum, vetus, lacerum veſtimentum ludibrij plenum. Nam vti corona ignominijs & cruciatibus referta, ſic arundo caua, & ſciſſa purpura dolores attulit & irriſus; Coronâ hominem arrogantem, arundine morionem, cocco ambitioſum regni affectatorē plectere tortorum mens erat. Euangeliſtæ chlamydem appellant. Hoc veſtimentum Ducibus, Regibus Macedoniæ, Imperatoribus vſitatum. Primus Romanorum vſus eſt chlamyde Rex Numa. Iulius Pellax cenſet fuiſſe talarem; quâ induerentur jam armati.

Cur purpureum indumentū Chriſto induitur?

II. Sed fortè quæras: vnde color tam pretioſus? quid oſtrum & murex: Quæſtio vana hoc loco, & nihil ad rem. Magis ſeria hîc mouenda. Illud tamen non videtur penitus ſilentio transmittendum. Cum Matthæus coccineam clamydem, Ioannes purpureum veſtimentum vocet, exiſtimauit Ambroſius duo fuiſſe veſtimenta, tunicam & chlamydem. Sed Athanaſius conciliat dicta, & communis eſt ſententia, fuiſſe veſtem vnicam.

III. In amore ac delicijs & magni ſemper pretij fuit purpura. Cortinæ, & velum Arcæ purpureum fuit, vti & Holofernis conopæum. Ioſeph in Ægypto, Daniel in Babilone, honoris cauſâ purpurati. Romani Regem honoraturi vt amicum, togam ei purpuream, quæ & picta dicebatur, offerebant: Ita Rex Alexander Ionatæ Hæbræo Principi, in ſignum amicitiæ coronam auream & purpuram miſit.

Purpura magni ſemper pretij.

1. Mach. 10 & 20.

IV. Inter purpuras pretioſiſſima fuit Plinio teſte, *Dipapha*: Quæ nomen inde ſortita, quod eſſet bis tincta, velut magnifico impendio. CHRISTI purpura veriſſime dici potuit *Dipapha*, ſeu bis tincta, & muricis oſtro, & CHRISTI ſanguine, cuius vel guttula pretioſior orbe toto. Vt pretioſiſſimus hic liquor eliceretur

Dipapha pretioſiſſima purpura *Plin. l. 9. c. 39.*

 è corpore,

è corpore, præmissa est missio sanguinis, quem subtraxerunt milites flagellis & spinis. Hinc pannus ille coccineus sat reperit sanguinis quem biberet.

Purpura verecundiæ nota.

V. Porrò purpura, inquit Pierius, pudoris & verecundiæ nota est: in CHRISTO nota fuit ludificationis & ignominiæ. Dum enim inter tenebras penderet in cruce à duobus saltem, centurione & latrone Dominus & DEI Filius est proclamatus. At verò cum in alto staret, jlocalariter purpuratus, & dumis coronatus, illud vnum atrocissimum *Crucifige* est auditum. Hæc CHRISTI purpura, si signficatum spectemus adumbrat CHRISTVM tot centenorum millium martyrum sanguine vestiendum, hi tingent vestimentum quod CHRISTI corpus, Ecclesiam, conuelet. Hæc ipsa etiam purpura designat immortalitatis vestem, quam post omnium ad vitam reditum induent beati.

Purpura Christi adumbrauit tot millia martyrum.

VI. Tantum igitur infelicitatis Regem tale potiùs lacerum funus, mortuiq; spirantis effigiem in quâ diuinum apparebat nihil, si illam immensæ innocentiæ gloriam excipias, vt vidit Pilatus non putauit quemquam hominum fore tam impium, inhumanum ac ferum, cuius non ira aut odium omnisq; animi impetus, tam miserabili objectâ specie frangeretur: quare vt erat sic miserè diadematus, nec tam ridiculo paludamento, quam proprio sanguine purpuratus, vibicibus distinctus, plagis concisus, in speculam quandam vel podium domus suæ ad animi voluptatem capessendam factam, otioq; indulgendum, vt Franciscus Quaresmius in historicâ elucidatione terræ sanctæ. docte annotauit, foras illum eduxit, vbi ipse omnes videre, & ab omnibus videri posset.

Pilatus quare foras eduxerit IESVM.

Lib, 3. *cap*. 9.

VII. Cùm enim probè calleret Pilatus, superstitiosos Iudæos, ob Paschæ solemnitatem neutiquam in prætorium ingressuros, neq; atrium tantam multitudinem capere posse, quanta tum ex indigenis, tum ex alienigenis confluxerat, ipse vt CHRISTVM viderent, non formam speciemq; Regis, aut Filij DEI habentem, sed acerbissimorum dolorum miserandam effigiem, è superiore loco visendam illorum dolorum summam Iudæorum oculis objecit, ratus solo communis naturæ nomine, atq; commiseratione conditionis humanæ posse homines ea specie ad clementiam comoueri, nec fieri posse, vt huiusmodi formâ non satisfaceret oculis Iudæorum, talis celaturæ cupidis ac peritis: quod vt certiùs assequatur, *Ecce homo* magna voce proclamat.

CAP.

CAPVT VII.

Arcus Pilati deſcriptio amplior.

Incæpimus ſuperius Arcus Pilati deſcriptionem proferre, quam hîc proſequimur.

I.

DIcitur Arcus Pilati, quia in modum arcus extructus eſt, & quia ipſe Iudex CHRISTVM Dominum noſtrum flagellis cæſum, ſpineâ coronâ redimitum, veſte purpureâ indutum, & omnibus affectum paſſionibus & contumelijs, in eum adduxit locum, paulò inferiùs ſpectante ex oppoſito palatij Pilati, ad quem conuerſus, patientem CHRISTVM oſtendit, & dixit: ECCE HOMO, *Ioan.* 19. ſed cum tali ſpectaculo, non emollirentur ferina Iudæorum corda, ſed maiori furore accenderentur, ac dicerent: *Crucifige crucifige eum*: iterùm Pilatus CHRISTVM ad judicium reuocauit, non tamen liberauit, ſed in maius CHRISTI dedecus ſedens pro tribunali in loco qui dicitur *Lithoſtrotos* oſtendit illis CHRISTVM dicens: *Ecce Rex veſter: illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Aſſerunt in dexterâ parte fuiſſe Pilatum, in læuâ CHRISTVM. Arcus Pilati qualis ſtructura.

II. Lapides dolati quadrati & albi, ſupra quos ſteterunt Pilatus & CHRISTVS, è veteri loco ſublati fuêre, & ſumptibus & operâ eiuſdem Guardiani ſacri montis Sion, ne perderentur, conculcarenturuè, quod indecens erat, quoniam ſuprà ſteterunt pedes Domini, in alterâ parte, & facie occidentalis eiuſdem arcus collocati fuêre, in quibus illæ ſolæ litteræ ſculptæ: TOL TO. quæ ſigna, acclamationis Iudæorum creduntur, quâ, vt Pilatus morti crucis illum adjudicaret, petierunt. Et eſt communis eorum, qui de locis ſanctis ſcripſerunt, obſeruatio. Lapides ſupra quibus Chriſtus ſtetit, translati.

III. Venetijs ſuprà Chorum illuſtriſſimæ ac celeberrimæ Eccleſiæ S. Marci, hinc inde oſtenduntur quatuor columellæ, duæ ex vnâ, & totidem ex alterâ parte, duas conficientes feneſtras, clauſas tamen; & in vtriuſq; medio eſt Angelus Crucem deferens opere muſaico elaboratus; harum Ioannes Stringa in ſuâ Venetia *lib.* 1. *c.* 40. mentionem faciens, ait dictas columellas Ieroſolymis fuiſſe in domo & ſuggeſto Pilati, vbi ſtans, vt Iudex, CHRISTVM populo oſtendit, dicens; Ecce Homo. Et quoniam Quatuor columellæ Venetias translatæ.

niam posteà CHRISTVS baiulans sibi crucem, ad Caluariæ montem exiuit, vbi crucifixus fuit, ideò inter illas columellas, Angelus cum cruce delineatus fuit, juxta Quaresmij sententiam, fuit dictus Arcus, specula vel podium domus Pilati, ad animi voluptatem capessendam, otioq; indulgendum ordinatum; quod CHRISTO tristitiæ, opprobrij, & dedecoris extitit instrumentum.

Arcus Pilati ad quem vsum.

CAPVT VIII.

Expenduntur geminæ voces ECCE HOMO.

I.

VT ergò CHRISTI spinis coronati, & ad populum producti, spectaculum animo ac mente concipiamus exactius, videamur videre CHRISTVM in alto pedibus vix ægrè consistentem, anhelitu difficili, specie prorsus lacrimabili, toto corpore miserabilem in modum lacerato. Horribile sertum è dumeto hæret vertici, manus ligatæ præferunt arundinem, vultus cruore ac sputis deformatus, nec amicissimis noscendus, artus omnes saucij, & recenti sanguine perfusi, quos coccinea ludicra chlamys malè operit, oculi jam moribundi modestissimè submissi, os ad silentium & verecundiam compositum. Verbo dixerim, *Doloris effigies*.

CHRISTVS quam miserabili specie populo exhibitus.

II. O Spectaculum acerbum & miserandum! ad hunc sublimem locum, in quo ad Pilati latus stabat CHRISTVS, viginti octo gradus (qui Romæ hodieq; visuntur & coluntur) ex albo marmore pertingebant. Suprà hos gradus, in palatio Pilati, quod hodieq; monstratur, pauld amplior erat locus marmore stratus, quem Ioannes *Lithostrotos* vocat, Hebræis *Gabata* dicebatur. Hic ambulacra & propylæa marmoreis columnis distincta, insignioribus duabus, ad quarum vnam Pilatus, ad alteram CHRISTVS stetit. Cum ergò Pilatus in omnem se partem versasset, tentassetq; omnia CHRISTVM in liberatem asserendo: visum est deniq; mouendis animis futurum illud efficacissimum, sitam sæuiter flagellatus sisteretur turbis ex alto spectandus. In eum igitur, quem diximus locum, vnà cum reo suo ascendit Præses, & quod credibile, coccineam vestem illam paululùm reducens, vt corpus fædissimè

Viginti octo gradus Romam translati.

diſſimè vulneratum ab omnibus probè poſſet conſpici, breue illud, ſed ſenſu pleniſſimum pronunciauit: ECCE HOMO.

III. Nunc ergò Chriſtiani, reſpicite & leuate capita veſtra. En ſpectaculum luctuoſiſſimum! En vt dux noſter pro paludamento vetus ſciſſumq; oſtrum, pro galeâ ſpinas, pro clauâ cannam, pro loricâ tergum, pectusq; flagris diſcerptum monſtret. Hoc habitu in illam palatij projecturam venit, vt ab omni populo ſpectari commodè poſſet. Huc CHRISTVS cogebatur aſcendere, qui præ deliquio animi vix pedibus poterat conſiſtere. Clemens Alexandrinus militaris priſci moris mentionem inijciens, *Regem recens creatum*; inquit, *milites congeſtis veſtibus aut clypeis ſublimem impoſuerunt.* Ita *Iehu* in Regem vncto *feſtinauerunt, & vnusquisq; tollens pallium ſuum poſuerant ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis.* Ita Rex noſter in altum educitur. *Exiuit ergò* 4. Reg. 9.
IESVS portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Hîc v. 13.
Romanus Præſes ſuccinctiſſimè ad populum perorans dixit: *ECCE HOMO.* Saltem agnoſcite miſerabilem hominem ſi non vultis Meſſiam aut Regem. *ECCE HOMO*: Minimum putate eum hominem, rationis vſu vobis non diſſimilem; quòd ſi non hominis, at ſaltem humanitatis rationem habete, hominum omnium miſerrimus, calamitoſiſſimus eſt. *ECCE HOMO*: quamuis ſimilior videri poſſit pecudi, cui pellis detracta. Si canem aut domeſticam animantem cerneretis tot morſibus ſauciatam, miſericordiæ aliquid ei tribueretis; En hominem plagis & vulneribus pænè confectum, miſeratione profectò dignum. *ECCE HOMO*, qui non lege ac more veſtro triginta nouem, aut ſummum quadraginta plagas accepit. Romano ritu flagellatus, plagis innumeris conciſus eſt. Prætorianus miles meus hic aliquid vltra juſſa auſus eſt. Videte nudas & cruentas coſtas. ECCE HOMO, num adhuc vobis metuendus, ne regnum affectet, ne tyrannidem occupet, ne reges ſuâ ſede deturbet? aſpicite coronam, ſceptrum, purpuram. Vos accuſatis illum, quod jactauerit ſe Filium DEI, En quam miſer homo, imò vix homo eſt, aut filius hominis. *ECCE HOMO*, vos eum appellatis malefactorem, ego hominem, vt vos homines aliquantùm mitigem. Quòd ſi homines eſtis, non belluæ, aliquid humanitatis homini tam miſerabili exhibete. Si quid peccauit, ſatis luit. Supplicijs grauioribus vix locus. Quis adamas ligat veſtra pectora? vel ſaxum, ne dum homo ſentiat tam acerbam ho-

bam hominis sortem. Qui ni calamitosum est misericors, meminit sui. Magnum crudelitatis genus est, quocunq; modo sæuire in innocentem. *ECCE HOMO*, caro & frater vester est, Hebræus est, inter vos natus, apud vos educatus. Ideò illum ad vos produxi, vt eum pro homine, imò pro ciue agnoscatis.

Sed ehodum *Quid populum Pilate, alloqueris,*
Accerse ad spectaculum Principes.
Ecce Homo, imò Ecce Deus.
Profert è capite vepres, non radios;
Arundinem gerit manu,
Non fulmen:
Sanguinem diffundit corpore,
Non lucem:
Ludicram vestem ostentat,
Non paludamentum.
Excipit sibila,
Non obsequia populorum:
Illuditur à militibus dum adoratur.
Hiccine Deus exercituum est,
Quis Princeps fidat militibus
Si militum ludus Deus est.

Hæc Pilatus è suâ mente pronunciauit. Multò plura mysteria spiritus diuinus per Pilatum eius rei ignarum nobis significauit. Quâ licet, ea summatim complectimur. *ECCE HOMO*, tu, ô homo, hæc vulnera debuisses excipere, tibi hæc debebantur supplicia. Sed iste, quem cernis, homo tuum fungitur munus, tuam omnem culpam in se deriuauit, pro te fidejubet, & satisdat damni infecti. Imò pro te factus est homo, qui te fecit hominem, *ECCE HOMO*, qui è cœlo missus est, vt te doceret iter ad cœlum, per sui ipsius despicentiam, submissionem, patientiam, *ECCE HOMO*, quem
Luc. IX. æternus Pater & tuum tibi donauit Redemptorem, & constituit
v. 16. Iudicem. *ECCE HOMO, qui fecit cœnam magnam, & vocauit mul-*
Ioan. 11. *tos.* Hic ille homo est, de quo hostes ipsi dicebant: *Hic homo signa*
v. 47. & *multa facit.* Hic ipsissimus est de quo fatidicus Caiphas dixit: *Quia*
50.
expedit

expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo. *ECCE HOMO*, Ioan. 5. ℣. 7.
quem toties inclamas æger: *Hominem non habeo.* Ecce hic ille ipſe
homo eſt quem vocas, te venit ſanaturus ſuo ſanguine *ECCE*
HOMO, & Filius hominis ſed & Filius DEI, *in quo ſunt omnes*
theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, in quo omnis plenitudo diui-
nitatis corporaliter inhabitat. Formam tamen ſerui accipiens, vt Coloſſ. 2. ℣. 3. & 9.
ſeruos aſſeueret in libertatem. Homo eſt, non humano more ha-
bitus, ſed ferino, vt magis crederes ferarum dentibus, quam ho-
minum manibus laceratum. *ECCE HOMO*, non plebeus ſed Ieſ-
ſææ ſtirpis, ſanguinis regij ſacerdos magnus, Aaron veriſſimus,
cocco & purpurâ veſtitus, ſanctus innocens impollutus, ſegregatus à pec- Exod. 39. ℣. 1.
catoribus & excelſior cælis futurus, qui non per ſanguinem hircorum
aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introibit ſemel in ſancta. 9. lib. 7. ℣. 12. & c. 9. ℣. 12.
ECCE HOMO qui veſtit omnia, non poteſt tegere ſua vulnera,
vt tegat tua peccata: foris minùs quàm homo, intus plus quàm
Angelus; ex hominibus aſſumptus ad DEI dexteram ſeſſurus.
ECCE HOMO, non roſis ſed ſpinis coronatus, non veſte Attalicâ,
ſed ludicrâ purpurâ indutus, non ſceptro ſed arundine inſignitus,
quem homines vt ſtultum irridebant, hic ipſe æterna eſt ſapientia,
quæ vniuerſum orbem condidit & gubernat. *ECCE HOMO*, om-
nium hominum humaniſſimus, ipſa humanitas, cuius *delitiæ ſunt* Prou. 8. ℣. 31.
eſſe cum filijs hominum. Cui Angeli vt Eccleſiæ ſponſo coronam ex
auro & gemmis aut certè floribus odoriferis imponere debuiſſent,
huic homines ſceleſtiſſimi ſertum ignominioſiſſimum è vepribus
impreſſerunt, *ECCE HOMO*, qui perfectiſſimum eſt Archetypon
obedientiæ, ſubmiſſionis, modeſtiæ, charitatis, patientiæ, qui vir-
tutum omnium abſolutiſſima eſt idea, qui omni vitâ, jam verò
maximè coram auditorio tanto velut in ſchola è ſuggeſtu, ſuum
illud artium atq; ſcientiarum compendium docens: *Diſcite*, in-
quit, *à me, quia mitis ſum & humilis corde.* *ECCE HOMO*, qui Matth. 11. ℣. 29.
ſupremum tribunal ſuum inter nubes collocabit, viuorum ac
mortuorum orbis totius Iudex æquiſſimus, formidabilis malis
omnibus. Qui ſe ipſum Patri ſiſtit & monſtrat, dum illum populo
Pilatus, & quidem his ipſis Pilati verbis: *ECCE HOMO*, ecce
mi Pater, tuum filium, in mea vulnera flecte oculos. En ego ille
homo ſum, qui pro omnibus hominibus hæc infanda libenter
patior & morior. Tu illis propter hunc hominem parce, qui
& plura & grauiora pati paratus eſt. *ECCE HOMO*, ſi & nobis

homuncionibus vilissimis loqui liceat, & quærere: cælestis Pater, num iste homo est, cui ad Iordanem & Thaborem vox tua testimonio fuit? *Hic est filius meus dilectus.* Iam vbi testibus maximè opus esse videtur, nulla vox, nulla nubes, columba nulla innocentiæ suffragatur. Iam nullus Moses, sed nec Elias vllus quidquam testimonij adfert. Num obsecro ille ipse est, *qui mittendus*
Gen. 29. v. 10. *erat, desideratus cunctis gentibus*, ipso innocente Adamo innocentior? vide mi Pater, vtrum tunica filij tui sit, an non, cruenta hæc
Agga. 2. v. 8. vestis, quam gerit hic homo. E C C E H O M O. ô Mater & Virgo afflictissima, ECCE HOMO. est nec hic tuus filius? an eum etiam num agnoscis? num ille ipse est, quem fascijs ligasti; quem in præsæpi reclinasti? nunc alias habet fascias, jam funibus ligatur, paulò post in cruce reclinandus. Num, obsecro, hic ille duodennis adolescens fuit, quem in templo inter Doctores inuenisti? quem diuersis locis concionantem sæpius audisti? vis
Psal. 44. v. 3. eum recipere in filium? *ECCE HOMO*, homo omnium hominum afflictissimus, desertissimus. Non est sanè, non est homo iste *speciosus præ filijs hominum.* *ECCE HOMO*, ô Angeli, spiritus bea-
Psal. 8. v. 6. & 47. tissimi, vos ipsi jam judicate, num reus iste vinctus, fœdissimum in modum cæsus, horribili vepreto redimitus, homo ille sit, de quo diuinus psaltes cantauerit. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis gloriâ & honore coronasti eum.* Ignominiâ & dedecore vndequaq; cinctus est. Nunc sanè oportunissimum erit interrogare? *Quid est homo aut quid est filius hominis?* *ECCE HOMO*, ô Petre, qui præteritâ nocte voces emisisti in omnem vitam pænitendas, pænitiùs hunc hominem intuere. Recordaris vtiq;, te semel iterumq; ac tertium dixisse: *Non noui hominem*: suspice quæso, & hunc hominem in edito stantem mirè deformatum fixissimis oculis contemplare, an fortè illum noueris. Sed si heri negasti & pernegasti, idq; jurejurando confirmasti, quod non nouisses hominem, multò minùs hodie illum nosse poteris, jam homini dissimillimum. Et sanè vel oculatissimus quisq; jurauerit, non esse eum hominem, qui die hesternâ, tibi ô Petre, alijsq; vndecim condiscipulis tuis pedes lauerit, & in epulũ corpus & sanguinem suũ apposuerit.

V. Quam diuersæ super hoc vno homine sententiæ feruntur, *ECCE HOMO* clamat Pilatus, miseratione dignissimus *ECCE HOMO*, clamat Iudæus, crucem meritissimus, homo scelestus, seductor, malefactor: *ECCE HOMO* clamas ethnicus, tot ægro-

rum me-

rum medicus, jam se ipsum curare non potest. *ECCE HOMO*, clamat diabolus, quem hominum fabulam & probrum feci, qui voluit aut non potuit lapides mutare in panes. *ECCE HOMO* Gabriel Archangelus clamat, altissimi filius, in domo Iacob in æternum regnaturus. *ECCE HOMO*, clamat è turba virgo Mater, ecce filius meus, propter homines homo factus, propter mortales moriturus. *ECCE HOMO*, clamat è cælo Pater, verus homo & verus DEVS, ab omni æternitate meus filius, pro humanæ gentis salute, in terram ad crucem tolerandam missus. Et quid tu anima mea de hoc homine dicis? Exquisitissimè delibera, quid super hoc homine responsi sis datura. Plura in hunc sensum vberiùs explicata leges apud R. P. Hieremiam Drexelium p. 2. c. 7. de Christo moriente.

CAPVT IX.

Pilatus ablutis manibus IESVM condemnat.

I.

SPectaculum erat ferum, immane, horrendum DEI patientis exemplum. Fregisset comiseratione silices, tygres, rabiem exuissent. non tamen flexisse potuit, aut emolliuisse Iudæos. Sed quod oleum flammæ, quod stipulæ incendio, quod flagellum furiæ, hoc ille homo Pontificum truculentiæ fuit. Efferauit immanes animos aspectus hominis miserrimi, & gliscentis inuidiæ furialis improbitas vltrà humanarum irarum fines, scelere maximè execrando progressa est, ad odium & parricidium DEI, suffigendum patibulo clamitant eum, qui nihil ad mortem habebat, nisi quod Solymas & Galilæam non pedibus magis, quàm beneficijs peragrârat immensis, nisi quòd sanctitatis famâ orbem terræ ingenti omnium populorum peruaserat admiratione. Plebem itaq; concitare pergunt, cuius jam tentari animos, tantæ commiseratione calamitatis non vanè præsenserant, vrgent, instant, obsecrando, non prius inde abeat, quàm impijssimæ cruci destinatum abducant. Principes plebem concitant ad vrgendā mortem Christi.

II. Pilatus itaq; quem ante toties insontem declarauerat, quem inuidiâ scribarum sciebat proditum, ærumnis mâximis agi-

tatum, toto corpore afflictum, jam jam penè animam agentem, Cruci addicit: ipsum tanquam mancipium tradit inimicis, in illum plusquam ferinâ rabie furentibus, vt pro eorum voluntate in crucis patibulo pendeat. Veritus autem illotis manibus perficere sacrilegium, mitis ille ac religiosus Iudex, populo jam obnoxius, manus aquâ perluit, & sanguine inquinat; *innocens*, inquit, *ego sum à sanguine justi huius, vos videritis: & respondens vniuersus populus dixit: sanguis eius super nos & super filios nostros*: nec voto defuit successus; scribit namq; *P. Garassus in sum. Theol.* horum posteros omnes gestare in capite tuber sanguine plenum, vnde & vnâ ex cunctis corporis meatibus quotannis die parasceues fædum in morem cruorem emittant.

Pilatus Christum damnaturus manus abluit.

Pœna in Iudæorum posteros.

III. At enim quæro de te Romane Prætor: si lotione manuum abdicas te judicio, cur adjudicas fieri petitionem Iudæorum? si de causa tibi non liquere pronuncias, cur accusatorum arbitrio concedis reum: si tibi, tuoq; muneri non est factum satis, cur vis populo satisfacere? aquáne manus abluis, vt Iudæi lauent manus in sanguine justi huius? & quem justum appellas, crucifigendum tradis? in quo nullam inuenis causam mortis, eum morte turpissimâ condemnas? quem tribus jam sententijs innocentem declarasti, de integro nocentium tradis in manus? Absoluis à culpâ, & dedis ad pœnam: abstines judicio & destinas cruci? aquam poscis, & sanguinem spargis? Si hoc est manus abluere, quid erit inquinare? Fecisses vtinam priùs, impie, quòd tandem facis, mitiùs multò cum Domino actum esset. Verùm iniqui Principis, vel ipsa misericordia maximè crudelis est DEO. Ita sanguis innoxius fundi jussus est, ijs seq;, filiosq; suos illo aspergentibus, qui pretio eiusdem sanguinis non abstinere impium ante crediderant: vt inexpiandæ labis venâ permeante per sobolem, fœda cruore posteritas nasceretur, & hæres patrio testamento bis reus foret exitio innocentis, & absolutione latronis.

IV. Sedit igitur Pilatus pro tribunali (Romano ritu sedendum fuit Iudici, quod Vlpianus asserit, alioqui irrita censebatur sententia) sedit autem in *Lithostrotos* alto & conspicuo loco, vbi sententiam Latino idiomate dictauit à præcone promulgandam. Eam varij variè ac diuersimodè proponunt: Ego autem eam à Pilato pronunciatam censeo his verbis. IESVM NAZARENVM REGEM IVDEORVM CRVCIFIGI IVBEO. Nam titulus

Pilatus sedens dictauit sententiam mortis.


Eius formula.

titulus Crucis præferri solitus, cum rei ducerentur, è sententiâ damnationis describebatur. Atqui ista & ille hîc exactè conueniunt.

V. Intereà tempôris omnia instrumenta ad Crucis supplicium properanter collata. Crux ipsa, claui, funes, mallei, terebræ, forcipes, scalæ, ligones, palæ, spongiæ, acetum, vinum myrrhatum, & quidquid ex Romano more ad crucifigendum spectabat. Ipse verò Dominus suis vestibus induebatur, & in hunc modum vestitus, vinctus, vulneribus & sanguine opertus, viribus exhaustus, ob animi deliquia vix spirans, in atrio Pilati saxum insidens exspectabat, dum omne crucifixionis choragium comportaretur. Orabat interim, quod credibile, & suo se Patri inuictimam jam proximi sacrificij, vel millies offerebat.

Instrumenta crucifixionis collata.





PARS VI.

CAPVT PRIMVM.

Adricomij relatio de myſterijs & longitudine viæ Crucis.



Via crucis, quâ CHRISTVS in tribunali Cruci adjudicatus acerrimis ac cruentis greſſibus ad montem Caluariæ iuit. Incipiens enim à palatio Pilati per viginti ſex greſſus, qui faciunt ſexaginta quinq; pedes ad locum proceſſit, vbi crux ei impoſita eſt, vnde tota ſpectante vrbe ſuper ſaucios humeros ſuam baiulans crucem, verſus Caurum, ſeu Corum per 80. greſſus, hoc eſt ducentos pedes, ad locum vbi primò cum cruce cecidiſſe traditur, progreſſus eſt. Inde ſtatim per ſexaginta greſſus & tres pedes, id eſt centum quinquaginta tres pedes, ad locum vbi beata MARIA cum Ioanne filio ſuo occurrit. Hinc autem per ſeptuaginta vnum greſſus & ſesquipedem, ſiue centum ſeptuaginta nouem pedes, ad quoddam triuium, vbi Simon Cyrenæus Crucem poſt IESVM portare coactus eſt. Iſtinc porrò per centum nonaginta vnum greſſus, & ſemipedem, vel quadringentos ſeptuaginta pedes, ad locum vbi Veronica ipſi occurrit. Atq; illinc per trecentos triginta ſex greſſus & duos pedes, aliàs octingentos quadraginta duos pedes, ad portam Iudiciariam, vbi rurſum cum Cruce lapſus eſt. Deinde verò arduâ ſaxoſâ, atq; paulatim aſcendente viâ verſus ſeptentrionem proceſſit per trecentos quadraginta octo greſſus & duos pedes, ad biuium quoddam, vbi mulieres plorantes allocutus eſt. Ac iſtinc continuò per centum ſexaginta vnum greſſus & ſesquipedem, hoc eſt, quadringentos & quatuor pedes ad pedem ſeu radicem montis Caluariæ, vbi vltimò cecidit. Deinde vlterius per octodecim greſſus, aut quadraginta quinq; pedes, ad locum vbi carnifices ipſi veſtes extraxerant: vbi & vino myrrhato felle mixto potatus eſt. De hinc per duodecim greſſus, ſiue triginta pedes, ad locum vbi clauis cruci affixus eſt. Inde poſtremò per quatuordecim greſſus, id eſt triginta quinq; pedes, ad locũ vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ, fixus eſt. A Palatio itaq; Pilati vſq;



IM̄ENSO TOTVM QVI GESTAS PONDERE MVNDVM
ET NVLLVM MVNDO PONDVS INESSE PVTAS;
CVR GEMIS ATQ TREMIS LEVIORE SVB ARBORE PRESSꝰ
SIC PATRATA TIBI CVLPA PIANDA MIHI EST. 5.

lati vſq; ad locum vbi Crux rupi infixa fuit, ſunt greſſus mille treceoti viginti & vnus, ſiue aliâ ſupputatione, pedes ter mille trecenti & tres.

Hæc linea quarta pedis pars eſt, cuius mentionem fecimus, &c.

Hanc viam D. Petrus potens & M. Matth. ſtecutere. Licentiatus Theologiæ, & paſtor in Lonterſole, olim Ieroſolymis dimenſi ſunt, & juxta eandem formam ac menſuram diſpoſuerunt Caluariæ viam Louanij, Mechliniæ, Viluordiæ, & in alijs Brabantiæ locis, quæ etiam diligentiſſimè deſcribuntur in libro, cui titulus eſt *Via Crucis*, per Petrum Calentinum editum, & prætereà à D. Ioan. Paſch. ſacræ Theol. Doctore in peregrinatione ſancta, die 207. & rel. Item à D. Bethleem Presbytero in deſcript. locorum Paſſionis CHRISTI.

CAPVT II.

IESVS impoſitâ humeris Cruce, ad montem Caluarium trahitur, cui Simon Cyrenæus opitulatur.

I.

VIx ſupererat CHRISTI Domini cadaueri anima ægrè retenta, cùm ſtatim ſemiuliuo, qui jam ſibi ipſi pondus erat, impoſuêre immanem patibuli machinam; longam, vt communis fert opinio, pedes quindecim, latam verò octo, vt ſuam ipſe mortem priùs ferret, quam inferretur: & quâ Cruce mox eſſet tollendus, eâdem priùs opprimeretur, ſic anticipato Prætoris impijſſimo edicto, contra Tiberij legem, ante decimum à ſententia diem, ad ſupplicium inſons rapitur, atq; impoſitâ humeris cruce jubetur innocentiſſima victima, jugo collum ante ſubmittere, quàm morti. Ingenioſum turpiſſimæ crudelitatis additamentum! excogitant quidem à callidis inimicorum ingenijs, vt grande ludibrium, ſed præmonſtratum à ſacrorum vatum oraculis, vt grande myſterium, cum

CHRISTO Crux ferenda imponitur.

Sententiæ executio contra legem Tiberij.

rium, cum

rium', cum præuisus fuit regis maximi *Principatus super humerum eius.*

Isai. 9. 6.

II. Cogitur itaq; labantibus ac penè intermortuis artubus ferre lignum, non minùs ignominiâ exitiale, quàm pondere, vt quantum oneris magnitudine premeretur in corpore, tantum dedecoris acerbitate in animo cruciaretur, & cuius humeris totus mundus incumbit, suis ipse viribus destitutus, succumberet cruci. Terrentur latrones, inquit S. Bernardus, dum cruces vident, in quibus moriendum est, & abhorrent, cùm tamen eas gestare non jubeantur, sed lictores habent oneris administros. Crucem autem suam, cum gaudio amplectitur Dominus, vt in eâ peccata nostra & totius mundi crimina deferat ad expiationis lacum, cui Caluaria, hoc est vertex humani capitis arrogantiæ sedes indiderat nomen; quasi ad arrogantiam illam hominis exterminandam, quæ in pestilentiæ posita tribunali, suis non tam ornatur laudibus, quam opprobrijs delectatur, ibiq; figenda Crucis humilitas esset, vbi solium superbia collocarat.

Latrones non ferebant suas cruces, sed lictores.

III. Sic itaq; compellitur DEVS conscendere extremum illum miseriæ collem, vt qui sceleratorum fuerat supplicium, eiusdem DEI nunc fiat carnificina patientis, & in eo tanquam maximo orbis theatro, vniuersus mundus aspiciat lacerum, ac summè defatigatum pro hominibus DEI filium excipi, non placidissimo patris sinu, sed ligno acerbissimæ Crucis. Susurrantibus ergò sparsim inuicem turbis quæ conuenerant ad spectaculum, vt piè commentatur B. Iustinianus. Ecce jam DEI filius egreditur januâ, crucem super humeros ferens. Incedebat submisso vultu, incessu humili, fatigatus & anxius, quippè qui totâ nocte consputus, illusus, flagellatus fuerat & oppressus. Tardius incederet; nisi patibulum quasi penna pænarũ, & ala charitatis aptata sanctissimis humeris, molem excruciati corporis veheret potiùs, quàm veheretur. Vadit nunc tandem ad ferale jugum, proditque extra vrbem suis obsessam criminibus diuini Patris sapientia, & quidem omnia bona secum portat; hoc est Crucem.

Itineris quod ad Caluarium ducebat, circumstantiæ.

De triumphali Christi agone cap. 19.

IV. Loco Præsidis sequebatur Centurio, cum militibus suis, nec sacerdotum Principes, nec seniores populi abesse voluerunt, donec eum jam suffixum Cruci, ac deniq; mortuum vidissent. Et buccinatores quidem adfuisse probabile est, teste namq; Vegetio, constat Romæ, si quando in caput vnius ciuis Romani animaduertebatur,

Centurio cum suis comitabatur Christum.

Veget. l. 2. c. 22.

uertebatur, reum deduci solitum per portam Exquilinam, ac buccinas à cornicinibus fuisse inflatas. Addit Petrus Faber: tintinnabula pulsari solita cum damnari ad supplicium educerentur, vt eorum tinnitu admoniti populares, à fortuito, sed tamen ominoso, vel carnificis ipsius, vel etiam damnati hominis contactu abstinerent, ne incanti polluerentur, imò aliquoties per viam à præcone causam mortis enunciari solitam, sunt qui velint, quæ tamen an hîc obseruata fuerint, cùm Euangelistæ taceant, certò adstruere non ausim.

Buccinæ inflatæ. *Pet. Fab. l. 2. Semestr. c. 8.* Tintinnabula pulsata.

V. Pergebat in Caluariæ locum arbore onustus graui, compatiebantur fæminæ deuotæ, & illachrymabant, quas vt respexit: *Filiæ*, inquit, *Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* O IESV bone, permitte hoc modicum solatij angoribus tuis, vt sint quæ contristentur pro eis. O formosissime Adolescens, cur fletibus obstas, earum quæ te diligunt, quando vel Hyrcanæ Tygres ad tale spectaculum lamenta coercere non valerent? pro quà re plorandum si non tui gratià? tu omnibus charior pignoribus, tu humani generis delicium, tu Angelorum recreamen, in te domus omnis inclinata recumbit Adæ luctuosi; siue per ora cadant vndarum riui. Sed contemplare, vt fortè non tam velut singultus, quàm admonet sibi lachrimas quoq; impendere. *Flete*, ait, *super vos*, bonus est planctus alienarum ærumnarum, sed domesticæ interim non negligendæ: Et quidem super filios lugere etiam docet, nam gnatorum mala parentes miserrimè vexant; at secundas in luctu partes (quanquam filij dulcissimæ illecebræ sint) monet tribuendas; primas rapiant sibi qui genuêre, tantum abest velit pro sobole omnem impendi luctum. *Ordinem diligenter attende*, ait noster S. Bernardus, *super vos*, inquit, *primò, deinde super filios vestros.*

Luc. 23. v. 28. Filias Ierusalem super seipsas priùs postea super filios earum Christus flere monet. *Ser. 2. de Resur.*

VI. Interim, vt scribit S. Augustinus *Crucem gestabat pondere grauem itinere longo, graue quidem pondus corpori, sed leue charitati*, vnde in sinistro humero vulnus adeò magnum contraxit, vt inter reliqua id senserit sibi esse permolestum: ad itineris verò molestiam quod attinet, dimensus eam Christianus Adrichomius in theatro suo terræ sanctæ num. 118. sic scribit: à palatio Pilati ad montem vsq; Caluariæ gressus numerantur 1321. Ex his prætorio relicto, sex & viginti confecit ad locum in quo crucem in humeros accepit. Hinc ad octoginta gressus processerat, cum

Christi vulnus in sinistro humero.

Descriptio viæ per quã Christus crucem portauit.

baiulans crucem sub eâ concidit. Erectus illicò cum onere suo perrexit ad sexaginta gressus & pedes tres, vbi Matrem cum discipulo conspexit.

VI. Ab occursu hoc longè tristissimo, pertransiens ad trivium quoddam, post gressus vnum ac septuaginta cum sesquipede, deficere viribus cœpit, ac luxato jam dorso, fractis humeris, exhaustis venis sanguine, examinato vulneribus corpore, patibuli oppressus pondere, dum nos erigit, cecidit iterum IESVS: sed immanior parcendo crudelitas, leuatum onere grauiori supplicio reseruauit, veriti namq; Iudæorum principes, ne fortè in viâ vt erat excruciato corpore debilior, exspiraret, cum nullus eorum infame illud, nefastumq; lignum vel pretio portare vellet, Simonem quendam Cyrenæum virum agricolam, atq; ignobilem obuiam factum, Patrem Alexandri & Rufi, discipulum Christi teste Hieronymo, vel inuitum compulerant, vt tolleret crucem ipsius, & ferret post eum. Ingeniosè de hac re S. Athanasius *serm. de cruce. Dominus & sibi ipsi crucem gestauit & rursum Simon, homo portauit illam. Primùm igitur portauit CHRISTVS IESVS, veluti trophæum aduersus diabolum: volens autem crucem sibi ipse ferebat: neq; enim necessitate compulsus accessit ad mortem. Rursum autem gestauit eam Simon homo, vt omnibus notum fieret, quòd non suam ipsius, sed hominum mortem Dominus moreretur.*

Simon Cyrenæus quis?

VII. Deprehensus hic Simon, primùm obniti, ac reluctari, tandem DEO intùs agente, manus dare, atq; humerum subiicere cæpit. Euge Simon quod facis constanter fac, sciet illud orbis terrarum vniuersus, atq; in Euangelio laudaberis, vbicunq; contigerit illud recitari. Animosè Simon, Reges habebis operis tui imitatores, Heraclius Imperator nudis pedibus, aperto capite, depositâ coronâ, vesteq; regiâ exutus, Crucem hanc post sex secula, in eundem hunc montem deferet humeris suis, gaudens te posse imitari. Animosè inquam Simon, ex attactu huius ligni crucisq; euectione saluaberis, CHRISTVM nosse magis incipies & amare. Ita namq; contigit, fuit enim Simon hoc itinere compunctus, profectusq; dein cum Paulo Apostolo in Hispaniam, Dertosæ Episcopus factus est, ac vixit sanctissimè fastis Ecclesiæ adscriptus. *Dexter in Chronico Lucius Braulio, &c.*

Coactus Christi crucem portauit.

Simon hic factus Episcopus Dortosæ.

VIII. An verò hic Simon Cyrenæus crucem vnâ cum Christo portârit, an solus? non otiosè quæritur à multis; sunt nonnulli qui po-

qui posteriore tantum parte prioris onere quod longè grauius erat, in humeris IESV residente, eam extulisse opinentur: inualuitq; hæc vulgò opinio, popularibus eam fouentibus, vt Caietanus tradit in cap. 23. Lucæ, ac defendentibus picturis. Verùm certius longè, ac maiore fundamento, vt tradit S. Augustinus, alijq; veteres præsertim S. Athanasius de cruce & Pass. Dom. S. Hieron. *in cap.* 27. *Matth.* S. Ambros. *in cap.* 23 *Luc.* alijq; vt anteà IESVS integram, ita nunc Simon totam post IESVM crucem gestauit, vnde noster S. V. Beda *Crux primùm à Domino portata, deinde Simoni, quem exeuntes fortè obuium habuerunt, portanda imposita fuit.*

Lib. 3. de conf. Eu. cap. 10.

CAPVT III.

Veronica CHRISTI vultum linteo abstergit.

I.

IAm vicarios inferendâ cruce humeros suos commodauerat Cyrenæus Simon, cùm istinc porro ad 19. passus & semipedem progressus Dominus IESVS in locum venit, quo vna ex illis, quæ Dominum patientem præ commiseratione plangebant, & lamentabantur, Veronica nomine, quam Nicodemus in historiâ suâ tradit sanguinis profluuio antè à CHRISTO sanatam fuisse, laboranti ac sudore plurimo diffluenti compatiens, capitis sui velum tergendo vultui extremum solatium dedicauit: quod ipse pietatis officium non abnuens, sed animo grato, beneuoloque complexus, posteaquam faciem extersisset, sese ipsum in telâ conspersit.

Veronica à profluuio sanguinis curata.

II. Colorato ad hunc modum piæ mulieris peplo, reddidit id Veronicæ Dominus in pignus & monumentum perpetuum amoris sui. Nihil de hoc sacri Euangeliorum codices, vt de alijs plurimis, prodidêre. Patrum sermone consignata traditio est, inter quos S. Tyriorum Episcopus, Martyrq; Methodius, qui circa an. 285. vixisse legitur, alijq; non pauci censentur, quorum verbis, scriptisq; ad nos deriuata historia fuit, vt auctor est Card. *Baronius*, & *Marianus Scotus*.

Facies Christi expressa in velo Veronicæ.

III. Ad materiam autem veli huius quod attinet, lineum

Quaresf. Tom. 2. lib. 4. c. 5. id fuisse plerisq; volunt; quamuis Francisco Quaresmio docto illi & accurato terræ sanctæ explanatori, Bombicinum fuisse visum sit, tum quia telæ bombycinæ in eâ regione maioris vsus sunt, tum quia velum capitis erat, cuiusmodi ex bombyce communiter elaborantur, & modo propter allatas rationes tobaleæ plicatæ, quas loco pilei Turcæ deferunt, fiunt ex bombyce.

Sal. Tom. 10. tract. 33. Velum Veronicæ triplex vbi asseruetur. IV. Velum hoc Veronicæ, tradit P. Alphonsus Salmeron, cùm oblongum esset, triplicatum CHRISTO traditum fuisse, atq; ita ab eodem, diuino vultui suo abstergendo adhibitum fuisse, quod dum fecit, non vnam, sed trigeminam sui imaginem, tribus illis sinibus impressisse, quarum prima Romæ seruetur, altera in Giennensi ciuitate Hispaniæ, tertia Hierosolymis: eratq; sudore, ac sanguine sperfa. *Hom. 29. de Pass. Dom.* Ioannes Landspergius tradit, faciem Domini in sacro illo velo impressam, retinere digitorum vestigia, & aspicientibus monstrare, quomodo armatâ manu alapas CHRISTO Domino inflixerint impij illi.

Romam ab ipsâ Veronicâ allatum. V. Dicitur ipsa Veronica hoc velum Romam secum detulisse, quo graui morbo laborantem Tiberium Imperatorem sanasse fertur, qui tanti beneficij posteà non immemor, CHRISTO diuinos honores decreuisse dicitur, verùm quòd inconsulto senatu statuerat, post rescissum fuit. Noster S. V. Beda opinatur Tiberio sudarium hoc transmissum, & eum à lepra per id curatum. Posteà ad Clementem Rom. Pontificem idipsum deuenit, atq; ita per manus successiuè traditum, apud sanctissimos viros perdurauit, quo ad vsq; redditâ Ecclesiæ pace, publicæ venerationi in Basilicâ Vaticanâ à Constantino expositum fuit.

VI. Ioannes VII. Papa qui sedit A: C. 705. seruando illi sudario construxit tessellati operis ἱερατεῖον Innocentius III. meminit processionis Sudarij Veronicæ à S. Petri Basilicâ, vsq; ad ædem xenodochij S. Spiritus in Saxiâ A. C. 1200. cuius verbis postea vsi sunt Honorius III. & Alexander IV. Bonifacius verò VIII. A C. 1298. Sudarium Veronicæ à prædicto templo S. Spiritus, vbi ante ostendi solitum erat, ad Basilicam Principis Apostolorum transtulit, suisq; manibus exeminentiore loco ostendit, præsentibus Iacobo Aragonum & Carolo Siciliæ Regibus: atq; vt eo loci, tum seruaretur inposterum, tum à summo Pontifice statis diebus ostenderetur, constituit. Denique Paulus V. idem Sudarium in nouam S. Petri Basilicam transferri curauit

die 21.

die 21. Martij A. C. 1606. vbi hodieq; perseuerat.


VII. Illustriss. ac Reuerendiss. D. Iacobus Boonen. Mechliensis Archiepiscopus imagini Sudarij S. Veronicæ orationem propriam subjecit, quam diebus singulis semel quisquis coram eâ pronunciarit, quadraginta diali veniâ à se nouerit felicitari est autem huiusmodi. Mechlien. Archiep deuotio erga Veronicæ sudarium.

Miserator noster adspice DEVS, & respice in faciem vnigeniti Filij tui, cuius verticem serto irrisionis nostra superbia coronauit, & peruersæ hominum cogitationes innumeris aculeis cruentarunt, cuius frons serenissima ob recordationem peccatorum nostrorũ fuit operta nube mæroris, & oculi benignissimi sanguineis lachrymis fuêre suffusi; cuius deniq; facies speciosissima (in quam desiderant Angeli prospicere) sputis, contusionibus, & sanguine fuit oppleta, miserere Ecclesiæ sponsæ tuæ prædilectæ, & quod pridem per os Sanctorum tuorum præmisisti, ablue faciem eius, Christianorum malis moribus nimis hoc tempore defædatam, vt his lachrymis, & hoc pretioso sanguine emundata, reformetur in sanctitatis pristinæ pulchritudinem, quam ei primitus largitus fuerat Filius tuus Dominus noster, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti DEVS in sæcula sæculorum, Amen.

In quo

In quo pius Antistes secutus est Innocentium Papam IV. qui Sa*cerdotibus omnibus missam de vultu Christi deuotè celebrantibus* 300. *dies, & solam collectam dicentibus* 40. *dies indulgentiarum concessit. Collecta verò hac est.*

DEVS qui nobis signatis lumine vultus tui, memoriale tuum ad instantiam B. Veronicæ sudario impressam imaginem tuam relinquere voluisti: tribue nobis quæsumus, per sanctam crucem & gloriosam Passionem tuam, ita nunc per speculum & in ænigmate venerari, adorare, & honorare teipsum in terris, quatenus te in nouissimo die, facie ad faciem venientem super nos Iudicem, securi & læti videre mereamur. Qui cum DEO Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.





EXVITVR VESTEM, NVDVSQ IN ROBORE DVRO
PROIECTVS NVLLO SVBVENIENTE IACET.
ASPICE QVO VVLTV FLECTET MISERABILE LVMĒ?
AT TE SPECTATOR, SI POTES ADFER OPEM. 6

PARS VII.

CAPVT PRIMVM.

IESVS Caluariæ montem tandem assequitur.

I.

SVo Veronicæ restituto sudario, nobilissimâ, si quæ vsquam visa est, insignito effigie, piæq; fæminæ benè precatus, gradum Dominus promouit, ac trecentis hinc factis, & triginta sex passibus, ad portam vulgò Iudiciariam peruenit, quâ damnatos Iudicio, ad mortem educere mos erat. Ibat autem horrifica inter dolorum omnium machinamenta magnanimus, viam toto suo sanguine consignans, vt siqui postea essent, qui eum sequi vellent, à recto tramite non deuiarent.

II. Inter insanientis itaq; vulgi clamores conuitijs ac maledictis plurimis coopertus, rapitur in Golgotha, extra septa ciuitatis tanti sceleris pœnas mox Romanis armis daturæ, vt veterum victimarum cessante mysterio, noua hostia, nouo suo imponatur altari, vt Crux CHRISTI, non magis templi sit ara, quàm mundi. Ad montem itaq; Caluariæ ab Adami protoplasti capite, seu corpore istic sito, ita nuncupatum, diuini amoris administra crudelitas, tanquam ad metam diuinæ charitatis aramq; mundi seminecem Dominum eduxit; & trahebat ille quidem per accliuia lapidosi montis ægrum, tardumq; corpus, seu potiùs corporis cadauer, animus tamen, vt Gigas exultabat, viresq; membris passim caducis, ac fatiscentibus suggerebat, nullo de suis comite nullo consolatore.

III. Vna tu mæstissima Mater, miserabili lamentantium mulierum comitata cætu adfuisti, qualemcunq; opem si posses allatura. Verum afflicto filio dolorem multò atrociorem tuo illo tristissimo aspectu, quam fuga discipuli desertoris, contulisti. Nam qui suos super se flere vetat, ex illorum ærumnis pro suis cruciatibus longè acerbius dolet. Audaciùs fortasse alius, quisquis fuit, amorem *carnificem* apellauit, sed tu certè bone IESV, inter

Mater cum plangentibus mulieribus subsequitur.

nter im̃aniſſimos tortores nullum im̃aniorem immitiorem ſuſtinuiſti. Etenim verò cæteri corpus, ſed ille diuinũa nimum vulnerauit, altiſſimè per eorum quos diligebat, incom̃oda adacto telo.

IV. Properat ergò ad Caluarium, ad montem ſcilicet myrrhæ, & ad collem thuris, qui ſolum in delicijs habet amaritiẽ: atq; vt in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo, hoc eſt pane doloris, laborat ſub faſce ſpinarum, quas illi maledicta terra germinauit, qui non laborat ſub axe ſtellarum. Fatigatis hîc nimiùm membris, ac manante vbertim ſanguine, tantum non deficere viſus eſt, quare indultâ aliquantulùm quiete, intereà dum lictor crucem apparat, militum vnus, accepto poculo pincernam agere inſtituit, vt Theophylactus ſcribit: moris ſiquidem erat, vti hodieq; apud multos etiamnum in vſu eſt, vt damnatis ad locum ſupplicij productis, vinum propinaretur & præſtans quidem illud, juxta prouerb. 31. 6. *Date ſiceram, mærentibus & vinum his, qui amaro ſunt corde, bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius*, quod & circa latrones obſeruatum fuit, quo morrem vel minus conſiderarent, vel certè ferrent alacrius. Atq; hoc eſt, quod Matthæi 27. legimus: *Dederant ei vinum* bibere. Et Marci. 15. *Dabant ei bibere myrrhatum vinum*; cuiusmodi cum ſoleat eſſe odore præſtans, ac guſtatu ſuaue, ad finem dictum conſequendum, petat aliquis, quare felle mixtum à Matthæo deſcribatur? cuius ipſe nequaquam inſcius, per Prophetam ſuper eodem conqueſtus olim fuiſſe inuenitur, cum dixit: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potauerunt me aceto.* Pſalt. 4 Atq; hîc deniq; IESV CHRISTI Domini noſtri innocentiſſimus guſtatus, quem hactenus inimici non læſerant, ne qua pars corporis ipſi eſſet à cruciatu immunis ac libera, grauiſſimâ amaritudine afflictus fuit, dum os eius, lingua, palatum, ac ſtomachus, quo flagella, ſpinæ, ac verbera non penetrarant, immiti hac amaritiẽ exaſperata ſunt.

Chriſtus potatur myrrhato vino.

Chriſti guſtatus amaritie afflictus.

Elogium P. Bomplani.

E cælo DEVS deſcendit,
Vt aſcenderet in Caluarium;
An meta cæli Caluarius eſt?
An potius

Meta

Meta Caluarij cælum?
Non nisi per Caluarium,
Redit in Cælum DEVS.
Vbi Adam tumulatur
Ibi moritur DEVS?
Illius sepulchrum
Huius patibulum est.
Pependit homo ab arbore peccando,
Pendebit ab arbore DEVS patiendo.
Eo acerbius, quo ille suauius.
Manus hominis tulit fructum,
Clauum feret manus DEI,
Dole mortalis:
Peccatum hominis, supplicium fit DEI.

CAPVT II.

IESVS detractis violenter vestimentis, nudus cruci adsternitur.

I.

POrrecto calice felleo, seu vino myrrhato, vestimenta CHRISTO detracta sunt, vt in crucem ageretur nudus; sat scio, diuersa hic quosdam opinari, & pietate nescio quâ, suam opinionem prætexere: his quidem omnimodam illam nuditatem morticùs tuentibus, his præcinctionem quandam velaminis cautè adstruentibus; Rationes neq; ex Prophetarum oraculis, neq; ex SS. PP. desunt: Primam opinionem grauissimi duo Patres, alter ex Græciâ, alter verò ex latinâ Ecclesiâ, suo calculo visi sunt comprobare. Primus est S. Athanasius, qui sic loquitur: *Exuebat vestimenta sua, decebat enim eum hominem introduceret in paradisum, exueret tunicas, quas Adam accepit, cum è paradiso eijceretur.* Alter S. Ambrosius est, qui *lib.* 10. *in Lucam*, & *in Psal.* 41. Sic scribit: *Refert considerare, qualis ascendat* (nimirùm in crucem) *nudum video; talis ascendit, quales nos auctore DEO, natura formauit, qualis in Paradiso homo primus habitauerat, talis ad Paradisum homo secundus ascendit.*

Christo vestimenta detracta.

Christus an omnino nudus cruci affixus.

Prima opinio.

Serm. de cruce & Pass. Dom.

Lib. 16. de Ciuit. c. 2.

II. Neq; causæ similes vero, neq; ad probalitatem idoneæ desunt. Ita namq; vel Augustino testante, Romanis in more positum erat, vt quos in crucem agerent, nudos figerent. Nudus prætereà is circumcisus fuit, quidni & crucifixus! neq; enim credibile est, improbissimos milites permisisse. vt quis eum velo præcingeret, quibus præter extremam confusionem, nihil vltrà erat in votis. Neq; obest, passim semicinctio tectum sculpi ac pingi, non enim necesse est, vt eo modo fidelium oculis subijciatur, quo crucifixus est ab eis, quos Dauid canes appellat, qui teste Ioan. Molano, plurima in eum commiserunt, quæ pudicè satis ac verecundè nequeant exhiberi, vnde factum, vt noster S. Gregorius Turonens. scriptum reliquit, CHRISTVS ipse presbytero cuidam secundùm quietem visendum se præbens, imaginem Crucifixi in templo vestire præceperit, ne populus nudum conspiceret, cùm ante varijs in locis eiusmodi imagines nudæ penitùs proponerentur, vt etiamnum hîc Augustæ nostræ, in publicâ vrbis portâ, & Landishutæ in Bauariâ inferiore apparet, quocircà sententiam hanc tuentur S. Bonauentura, Franc. Suarez, Ian. Senirus, Ludolphus, Drexelius, alijque.

Lib. 1. de glor. mart. cap. 23.

Secunda opinio.

III. Contrà verò sentiunt alij non pauci, nec paruo rationum pondere instructi, nec leuioribus argumentis, ea, quæ ante allata sunt, reuellere conantes; Cum enim verendorum nuditas post Adæ lapsum, indecentiam quandam præseferat honestati repugnantem, nulla sanè ratione admitti debuit in CHRISTO totius pudicitiæ speculo singulari, præsertim cum eam facilè potuerit euitare. Quare si referente nostro S. Gregorio Turonensi, Sacerdos ille diuinitùs monitus fuerit, vt nudam Crucifixi imaginem in templo positam, perizomate vestiret, ne omnibus eius nuditas pateret, quanto maiori curâ diuinum Numen CHRISTI ipsius nuditati occurrisse crediderimus, ne ab omnibus passim conspiceretur. Certè regalis Capella ad Aquas Grani tantis impendijs à Christianissimo Imp. Carolo Magno exstructa, ac plurimis sanctorum lipsanis locupletata, inter cætera quibus orbe toto magnam sui venerationem excitauit, ipsum hoc linteum religiosè asseruat, ac septimo quoq; anno Christianis istuc peregrinantibus ostendit; extra quod tempus, sola Cæsaris inauguratio, si quando istic eam celebrari contingat, hoc priuilegio gaudere inuenitur, teste Leone in itinerario, anni 1463. Accedat ad eiusdem asser-

De glor. Confess.

Christi linteum Aquis Grani.

dem assertionis robur S. Sindon, quâ sepeliendus à Iosepho inuolutus est, hodieq; Taurini singulari pietate ab omnibus colitur & honoratur: Hæc manifesta signa velaminis huius præseferens, quo lotus etiam vnctusq; ceteris in membris obuolutus ac sepulturæ traditus fuit, omni nos dubio absoluisse videtur.

IV. Sed quomodo per obstantes militum cateruas eo perrupisse potuit, velum qui detulit, quisquis fuerit antiquus dicet Poëta. Quomodo Christo perferri potuerit? Lib. 3. Ode, 16.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

Hoc itaq; viam aperiente, deuenisse potuit ad eum, dum Cruci figeretur, & linteolum verendis prætendisse, vel alia ratione, eo penetrasse, vt antè Veronica ad CHRISTVM peruenit, dum Crucem portabat, & peplo capitis sui faciem illius abstersit, & imaginem linteo impressam recæpit. Certè noster S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, certam adeò, ac stabilem hanc opinionem sibi præfigere non dubitauit, vt beatissimam Virginem MARIAM detracto proprijs capitis velamine, ac peplo, hoc ei obsequium scripserit impendisse: Accedit B. Vidua Birgitta arcanorum DEI conscia non semel, cui virgo ipsa Deipara in hunc modũ locuta fuisse perhibetur: *Filio meo stante sicut natus erat, nudus corpore, vnus tunc accurrens apportauit velamen, quo ipse exultans intimè, velabat verenda sua.* Potuitq; illud fuisse, quòd à Matre acceperat Filio deferendum: atq; illud creditur, cuius superius memini, dixiq; in Aquis Granensi Ecclesiâ religiosè seruari, de quo in Bauariæ sancto monte Andex, non leuis particula custoditur. *De Pass. Dom.*

CAPVT III.

Quæ forma, quæ materia fuerit Crucis CHRISTI?

I.

VArias formas, multumq; inter se diuersas suggerente diabolo, hominum crudelitas in reorum ludibrium, ac cruciatum inuenisse formas, visa est, quarum quædam simplices, quædam verò compositæ nominantur. Simplices illas dicimus, quæ antiquitus Quæ forma quæ materia Crucis Christi?

quitus frequenter in vſu erant, cum vno ſimplici humi depacto ligno, homines eidem tum affixi, tum infixi necabantur.

II. Compoſitas verò nominamus eas, quæ fabrorum manibus conſtruebantur, idq; duplici è ligno, vel decuſſato, cum ligna inter ſe obliquebantur: vel commiſſo, cum vni longo alterum breuius ſupernè, & in ipſo capite, ex tranſuerſo committebatur: vel deniq; immiſſo, ita vt ex primo illo erecto ligno, pars aliqua ſupra tranſuerſum emineret eâ compage, vt quemadmodum commiſſa crux ternos tantum fines habebat, in hoc eſſent quaterni. Quanam verò ex his ſpecie, formaq; prædita fuerit ea, quam Saluator ſibi deſpondit, non vna omnium Doctorum ſententia eſt.

Variæ ſententiæ DD.

Prima.

III. Sunt qui ad formam atq; figuram *Tau* conſtructam omninò fuiſſe contendant, ſecuti in hoc Tertullianum aduerſus Marcionē l. 3. c. 22. vbi ſic loquitur: *Ipſa littera Græc.* Tau, *noſtra autem T ſpecies crucis eſt*: quia & hanc S. Hieronymi mentem fuiſſe arbitrantur, qui teſtatur hanc litteram quæ ipſius etiamnum temporibus apud Samaritanos erat in vſu, crucis formam & ſpeciem præſeferre; priuſquam enim in Babylonicam ſeruitutem abducerentur Hebræi captiui, eiſdem characteribus cum Samaritanis vtebantur, quos ab ipſo Moyſe acceperant, verùm poſteaquam reuerſi eſſent, ab Eſdrâ nouiter inuentis vti cæperunt, vt quemadmodum diſpare cultu à Samaritanis diſſiderent, diſſimilibus quoq; in ſcribendo litteris vterentur; apud iſtos itaq; vetuſtioribus illis characteribus remanentibus, vſq; ad S. Hieronymi tempora, potuit vir ſanctus antiquum illud *Tau* cognoſcere, neq; abſq; fundamento loco citato ſcribere, idem crucis ſimilitudinem referre. Accedunt vetera Ægyptiorum hieroglyphica, quibus eadem figura non ſemel inuenitur expreſſa: vnde factum, non paucos, nec incelebres viros, tam firmiter huic opinioni adhæſiſſe, vt nullis ab eâ deduci ſe poſſe exiſtiment argumentis, inter quos vnus Ioan. Goropius Becanus lib. 5. *Gallicor.* hæc ſcribere non dubitauit: *Qualis fuerit crucis forma, ipſum* Tau *demonſtrat, toties in Hieroglyphicis repertum, vt impudentis pertinaciæ dici debeat, Si quis de eâ ampliùs dubitarit.*

In cap. 9. Ezech.

IV. Alij nihilominùs conſtanter volunt, Crucem CHRISTI non ad formam *Tau*, ſed quadratâ figurâ quaternarum ſcilicet extremitatum fuiſſe conſtitutam, ſed facillimâ hi cum prioribus viâ

Secunda.

ribus viâ conuenire posse, quam Iustus Lipsius V. C. aperuit, in confesso est, nimirùm si Titulum, quem Pilatus condidit, ipsi *Tau* supernè addideris ligno cuipiam longiori, super Crucem affixum, vti factum fuisse arbitror, vnde Crux ipsa quaternis finibus terminata fuit, idq; ex omniũ penè DD. Sanctorumq; Patrum sententiâ, & Doctrinâ, inter quos etiam S. Hieronymus in cap. 15. Marci, sic loquitur: *Ipsa species, Crucis, quid nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulget; Arcton dextra tenet, Auster in læuâ consistit. Occidens sub plantis firmatur.*

Crux quatuor partes mundi designat.

V. Eandem sequitur Catholica Ecclesia, quæ nullâ aliâ, præterquam hac vti consueuit: & rectè id quidem, cum enim Dominus IESVS pro vniuersi orbis salute mori voluerit, vero simillimum est, tale sibi delegisse instrumentum, quod extremitatibus suis quatuor totidem mundi plagas referret, atq; insigniora illa, quæ hominibus contulit beneficia signaret, vti prudenter admodùm notauit Ludolphus à Saxonia Chartusianus *p. 2. c. 63.* his verbis: *In quatuor brachijs Crucis notantur quatuor eiusdem beneficia, signat enim pars eius superior januæ cælestis patefactionem, inferior Auerni destructionem, à dexteris gratiæ collationem; à sinistris* peccatorum remissionem.

VI. Verùm enim verò totam hanc controuersiam diremisse, visus est Innocentius PP. III. in celeberrimâ illâ, quam sub initium Concilij Lateranensis habuit oratione, vbi sic loquitur: *T est vltima littera* Hebraici *alphabeti, exponens formam crucis, qualis erat, antequam Domino crucifixo Pilatus titulum superponeret:* innuens illam ex eo tempore cæpisse quaternis brachijs constare.

VII. De materiâ non minor controuersia inter doctos accensa est, dum & de ligni genere, & eiusdem singularitate, immanè quantum contendant. Nicolaus Lyranus cum asseclis ex vno genere ligni, scilicet taxo fabricatam fuisse existimat, Alij perscrutati fragmenta ligni S. Crucis, quæ Romæ Trajecti, atq; alibi seruantur, quercum referre existimarunt, cuiusmodi sunt S. Cyprianus, S. Eucherius, Goropius Becanus, Alphonsus Ciaconus, Iacobus Bosius &c. Tertullianus verò, Ambrosius, & Augustinus ex duobus lignis S. crucem conditam esse voluerunt: *palmâ* sc. & *oliuâ*. Anastasius Sinaita cum alijs pluribus, ex tribus arboribus confectam voluit, cupresso, scilicet pinu, & cedro. S. Bernardus & Glossa in clementinam, ex quatuor diuersis lignis,

quæ hoc versu exprimantur, compaginatam docent.

Ligna Crucis Palma, & Cedrus, Cupressus, Oliua.

Et cedrum quidem ponunt in stipite, palmam in palo per longum, cupressum in ligno transuerso, oliuam in tabulâ super crucem. Eadem quoq; lignorum genera in CHRISTI cruce contemplantur B. Augustinus, Albertus Magnus, Ludolphus, Gislandus, & alij.

CAPVT IV.

De Metaphoricâ Cruce, & tropologicâ.

I.

Metaphoricæ Crucis nomine veniunt omnia, quæ corpus & animam cruciant & affligunt, & de hac quidem intelligendum quod de mellifluo illo amaritudinum CHRISTI, & myrrhæ fasciculi contemplatore Bernardo, litteris traditum inuenimus, cui aliquando petenti à Domino, quomodo, CHRISTO suo maximè conformis esse, & illi tanta passo compati posset, Dominicà quadam Passionis in suaui extatici amoris deliquio, onustus Cruce CHRISTVS, quâ grauem dorso trabem operosè ad montem Caluariæ baiularet, se ostendit, lachrymanti ad miserabile spectaculum Bernardo accidit vox ad aures: mi Bernarde, juua me, qui tanta pro te patior. Accurrit Bernardus CHRISTVM in ferenda Cruce adjuturus: & patere, inquit, Domine, vt patiar. *Ita Pater, quia sic placitum est ante te.* Illam accepto suâ in latitudine paratus pati, quæcunq; volueris. Illam amplector suâ in longitudine, tamdiu passurus, quamdiu permiseris: illam suscipio, suâ in sublimitate, & profunditate, tam excelso & humili animo toleraturus omnia, quam cognosco te velle à filio, & quam filius tibi potest exhibere.

S. Bernardus.

Quatuor dimensiones Crucis.

II. Et optimè id quidem: hæ enim sunt quatuor illæ Crucis dimensiones in quibus fulget Crucis mysterium, quasq; & nostra habere debet, aut non erit illa Crux, quam jubemur quotidiè ferre post CHRISTVM, & in quâ cum ipso affigendi sumus, quæ meritò, teste S. Leone, *ferre vnicuiq; suadetur, quia proprijs modis, atq;*

modis, atq; mensuris ab vnoquoq; toleratur. Vnde exorta veritas, quod *qui à Cruce suas tollit dimensiones, tollat à se Crucem suam.* Tollit nempè similitudinem suæ Crucis cum Cruce CHRISTI, quod vt clariùs pius lector aduertat, expendendæ Crucis mysticæ dimensiones, ac cum P. Iuliano Hayneuffio explicandæ. *Serm. 9. d. Quadrag*

III. *Latitudo* itaq; Crucis est quidquid ex diuinâ ordinatione patiendum est. O quæ & quanta CHRISTVS in toto passus corpore, in bonis, in honore, & vniuersim in omnibus? Itane verò tu, homo noue, tu inquam omnia? Si quid desit, quod non patiaris, tantum de latitudine tuæ Crucis deest, & tantum de similitudine eius decerpis.

IV. *Longitudo* Crucis est, tamdiu constanter pati omnia, quàm durat occasio patiendi, sic CHRISTVS ab horto ad Crucem. Imò sic à primo vitæ exortu, vsq; ad mortem semper constantissimè passus est. Si resilis, non imples mensuram longitudinis Crucis. *Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam deest obseruantia pietatis. Totius temporis est Crucem ferre. S. Leo sup. cit.*

V. *Sublimitas* deniq; & *profundum* Crucis, est charitas & humilitas simul juncta in animo patientis; sic CHRISTVS ex eâ ipsâ charitate quâ diligebat Patrem, diligebat Crucem, & in hac sublimi dilectione patiebatur. Tam profunda verò eius erat humilitas, vt exinanitio ab Apostolo dicta sit, quo verbo nihil aptius in rem præsentem dici potest. Ita mensuram suæ Crucis ille expleat, cùm ista passus est, quæ Corinthijs scribit: *secundum mensuram, quâ mensus est nobis Deus*, sic imitatores sui nos esse vult, sicut ille est CHRISTI, ne dum à Cruce suas tollimus dimensiones, tollamus à nobis Crucem CHRISTI. 2. Cor. 10.

VI. Est verò & alia, scilicet allegorica ac tropologica Crux CHRISTI quæ melioris vitæ, virtutisq; propositum est, de qua S. Augustinus explicans hæc verba Pauli Apostoli: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, sic loquitur: hoc autem dicit, vt intelligas non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisq; propositum, cuiusmodi sanè crucem omnes illi tollere dicuntur, qui Religionis jugum generosè assumunt, eamq; vitæ rationem ineunt, quæ à rerum mundanarum strepitu quam remotissima est. Huc pertinet quod *lib. 3. insinuat diuinæ pietatis cap. 30.* legitur. Crux tropologica. Gal. 6. 14.

VII. Cum nostra B. Gertrudis cantari audisset in choro:

Visio B. Gertrudis de ferendâ cruce. *Qui vult venire post me abneget semetipsum & tollat Crucem suam & sequatur me*, respiciens vidit Dominum, viam quândam ingredientem, & peragrantem amœnam quidem viriditate, ac florum venustate delectabilem, sed angustam simul ac spinarum densitate horrentem. Vidit autem Crucem præcedere, ac viam spinarum diuisione ab inuicem ad ambulandum commoditatem sternere, respiciebat CHRISTVS retrorsum, ac sereno vultu suos post se inuitabat dicens. *Qui vult venire post me tollat Crucem suam & sequatur me*, inter quæ intellexit vnicuiq; tentationẽ suam, esse Crucem, quam tollere quilibet debet, adhibens voluntatem patiendi libenter contraria.

Luc. 9, 25. Alia Crucis nota.

Addo & Crucis nomine venire assiduam, viuamq; eiusdem meditationem, quâ veluti post Dominum, aut cum Domino, eorum quæ ipse passus est, memoriâ distinetur: significare id pro singulari suâ in homines benignitate Amicis voluit, & tantum non imperare.

CAPVT V.

IESVS in jacentem crucem humi dejicitur, eidemq; quatuor clauis affigitur.

I.

POstquam igitur ventum ad crucem, exutis vestibus, spineâ denuò capitis redditâ coronâ prærupto quaqua versus corpore, cruci pro victimâ Sacerdos imponitur, vt legalibus hostijs ablegatis, idem in lege charitatis, & sacrificio amoris Sacerdos esset & hostia, quam vt certiùs impellerent in mortem robustissimi adsunt malleatores, qui eam crudeliter ferali ligno committant. Prostratus itaq; ac supinus super cruce jacens, eidem affixus fuit, ita vt crux cum eo postea erigi debuerit & attolli. Adstipulantur huic sententiæ S. Cyrillus, S. Leo. S. Hieronymus S. Antoninus, S. Anselmus, B. Laurentius Iustinianus, cuius verba hæc sunt: *Ibi nudatur vestibus, solo supinus extenditur, configitur stipiti, in aera eleuatur.* Nec ratio deficere videtur, tum quia hic crucifigendi modus facilior & expeditior est, tum verò, quod perpetuâ terræ sanctæ traditione in Caluariæ monte crucifixionis locus notatus sit, triginta quinq; pedibus, & dimensus hoc spatium fuit

Christus exutus vestibus Cruci affigitur.

Christianus

Christianus Adrichomius, distans à loco, vbi Crux rupi infixa fuit, excitato ibidem pulcherrimo sacello, cuius pauimentum elaborato marmore, opere tessellato stratum est, tantaq; elegantiâ resplendet, vt alius in terrâ sanctâ locus ei, teste Francisco Quaresmio comparari non possit, quò veteres illos CHRISTO fide professioneq; auctoratos, posteris persuadere voluisse credibile est, in eo reparatorem nostrum pro humanâ salute, cruci affixum fuisse, sicut in hanc horam vsq; id omnes sibi constanter persuadent.

II. Iacentis itaq; in hunc modum super duro Crucis lectulo, ad molles adeò, tenerosq; DEI hominis artus minùs idoneo, manus eius, pedesq; nequissimi satellites illicò tenuêre aut funibus Cruci adstrinxêre, ne fortè doloris acerbitate, quam vulnera mox illatura erant, corpus disijciens, fixionem impediret: exinde brachijs vtrimque, nerui instar extensis (Ludouicus de Saxoniâ, qui de Passione Domini, ait viro sancto reuelatum, hanc artuum extensionem omnibus cruciatibus fuisse seuiorem, vt quæ omnes venas, neuorum, membra omnia, vt cordas in citharâ intenderet) non ait charæ parentis amplexum, sed ad luctuosissimam mortem palmæ manuum, vel acuto veru ante perforatæ, vt auctor est S. Bonauentura, vel ipsis clauis ferreis terebratæ, Cruci constitutis locis affixæ sunt; clauis inquam peruolam manus, vbi viget tactus, adeoq; dolor est acerrimus, adactis, vti habet communis fidelium sensus, firmatq; Zacharias. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?*

Quomodo manus Christi affixæ Cruci.

Zach. 13, v. 6.

III. Sunt tamen qui sentiant CHRISTVM Cruci affixum, clauis non per volam manuum, sed per carpum adactis (dicitur autem carpus brachij nostri extremitas, vbi illud jungitur manui, quo loco pulsus est) ijsdemq; non directè, sed transuersim tendentibus, vt per carpum penetrarent in manus, illasq; Cruci annecterent: quod ita esse, ex sindone Taurinensi non obscurè colligi volunt, cui inuolutum CHRISTI corpus fuit Saluatoris dextera primum fuit in clauum induta, exinde læua, de quibus ita Bernardus de Pass. & ex eo Ioan. Eckius: manus altera obtuso clauo, vt grauior esset dolor, Cruci affixa est: altera verò quando jam foramen attingere non poterat, funibus sic extensa est, vt venæ disrumperentur. Et Agathæ quidem à Cruce reuelatum est, in sinistræ manus fixione, Christi brachium, scapulas & pectus

luxata esse. Deniq; ad pedes deuentum, quos pari crudelitate ac violentiâ extrahentes, non sine maximâ neruorum conuulsione Cruci similiter affixerunt. Ioannes Landspergius hom. 41. *de pass. Dom.* 36. ictibus mallei affixos ligno fuisse pedes arbitratur, manus verò ictibus 26. B. Birgitta inter cetera cælitus sibi nunciata asseruit, cruciatum illum, quem in extensione hac corporis sui CHRISTVS DEI filius sustinuit, tantum ac tam grauem fuisse, testata est, vt omnium atrocissimus totius anteactæ passionis fuisse censendus sit.

S. Birgitta l. 1. c. 19.

Quantus Christo dolor extensione manuum ac pedum fuerit?

Tribus an quatuor clauis Christus Cruci affixus.

IV. Sed alia hîc quæstio, num CHRISTVS tribus an quatuor clauis Cruci sit affixus. De tribus peruulgata est opinio. Alij nihil ominùs, inter quos eminet noster S. Gregorius Turonensis Antistes, considerantes recto stipiti cruciarij pedes affigi non posse, nisi genua protensa protuberent (impediunt enim calces, ne corpus rectè protendatur) existimant idcircò asserculum quendam pedibus fuisse suppositum, quem Tertullianus alicubi solistaticulum appellauit, in quo solo stabat cruciarius : hinc quatuor clauos in CHRISTI Cruce numerant. Qua propter res jam videtur liquida satis. Et certè difficillimum est capere, qui tandem fieri potuerit, vt duo pedes vno simul clauo figerentur. Rectè igitur affirmari censeo, duos pedes, duobus clauis scabello suppedaneo affixos, idq; ex more & ritu Romano factum. Quod Gregorius Turonensis, quem dixi apertissimè confirmat, & vnâ quærit, quo locorum Dominici hi claui deuenerint. Primum aiunt in mare Adriaticum sedandæ tempestati jactum, tam frequentia in eâ naufragia erant, vt *nauium vorago* diceretur ; duos alios Constantino Imperatori oblatos, hunc quidem freno, illum Galeæ inserendum. Quartum deniq; Treuiris asseruari. Quando igitur quatuor membra erant figenda Cruci, quatuor eis assignati milites.

l. 1. de glor. Mart. c. 6.

Claui Dominici quò deuenerint?

Hoc vt priscæ icones loquuntur, vti argentea Romæ ad S. Petri, Louanij ad S. Michaelis, in Hispaniâ Burgis, sed & alibi in plurimis antiquis cænobijs.




TAM LEVE MIRARIS TANTO MOLIMINE PONDVS
TOLLE? COLAPSVM TOLLITVR ORBIS OPVS.
TAM GRAVE MIRARIS QVI POSSINT TOLLERE PONDꝰ?
IPSIVS IMMENSA PONDERIS HOC FIT OPE. 7.

PARS VIII.

CAPVT PRIMVM.

Erectio Crucis dolorosissima.

I.



D hunc igitur ritum CHRISTO Cruci suffixo, restabat illa in sublime erigenda, atq; in præparatum sibi scrobem demittenda: aberat ille à loco crucifixionis, vt diximus, pedes 35. istuc itaq; connitentibus militum humeris raptanda, atque inferiore sui parte defigenda erat: cum enim locus ille, noxiorum supplicijs deputatus esset, plurima eiusmodi foramina excauata, istic in rupe visebantur. Erectio Crucis.

II. Quanto autem cum ludibrio, quot sannis atq; cachinnis Crucem eleuarent, quanto cum impetu indestinatam foueam deuoluerint, vt transeam ad considerandum vnum ex atrocioribus cruciatibus & tormentis, CHRISTO doloribus vndiq; circumdato, inflictis. Hoc autem fuit, Crucis in altum eleuatio! scribitur enim à quibusdam Crucem foueæ seu foramini parato sic immissam, vt in altum leuaretur, & incidere violenter, & impetuosè permitteretur, immenso cum sonitu. Aspicere licuisset, quot machinis, quot funibus vterentur, quot trabibus, quot concussionibus Crucem CHRISTVMq; in illâ pendentem, nunc in hanc, nunc illam partem inpellerent, ob hocq; omnibus membris crucifixi Domini concussis, omnibus vulneribus & pœnis renouatis, & ampliatis, sanguinem copiosiùs effluxisse. Quis hiatus plagarum, dum militum lacertis, quaqua versus agitata Crux constabilitur, quis explicet? à vero nequaquam aliena fuit Landspergij, & aliorum quorundam ratiocinatio, qui impetuosâ illâ quassatione post manuum pedumq; immani quodam hiatu dilatata vulnera, membrorum omnium conuulsionem, ac viscerum concussione secutam fuisse velint, vt ipsa jam Crux tanquam altera vitæ arbor in medio paradisi, salutem & vitam operari inciperet in medio terræ

Quomodo facta.

Quam dolorosa.

terræ, vnde sanguineus per manuum, pedumq; vulnera deriuetur in quatuor diductus capita fluuius, vt quæcunq; cælestium imbrium inductionibus terra fæcunditatem acceperit, fiat cultore nouo Adamo paradisus voluptatis.

III. Crux ergò erigitur, cum victimâ orbis, quatuor clauis confixâ. Irroratur terra quatuor nouis fontibus sacri cruoris. Pendet victima coronata spinis, nuda, vt dinumerari omnia possent ossa: nuda, in vnum opprobrium: nuda, vt corpus nihil, nisi vnum vulnus, spectari posset. In Cruce Claui manus, pedesque ligauerant: Nihil in eo pænis liberum, nisi cor, & lingua remanserat. *Foderunt*, inquit, *manus, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea.* Ab omnibus membris sunt exactæ pænæ; quia in omnibus membris peccauerat homo: visus fuit tanquam leprosus; quia nos omnes leprosi: à plantâ pedis vsq; ad verticem capitis. *Vidimus*, inquit Isaias, *tanquam leprosum & percussum à Deo.* Ecce vt cum iniquis reputatus est; qui ad exemplum duorum latronum comitum clauis confossus, quasi Princeps latronum, latronum fuit medius locatus.

Corpus Christi nihil aliud quàm vnum vulnus.

Psal. 21.

IV. Ad situm verò pendentis in cruce Domini, quod attinet, auctor est S. Ioannes Damascenus *lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13.* Dominum cum in Cruce penderet, ad occasum prospexisse. S. Germanus verò Constantinopolitanus Patriarcha in *theoria rerum Ecclesiast.* CHRISTVS, inquit, Cruci affixus ad Occidentem erat intuens, eius vero venerandarum manuum altera in meridiem, altera in septentrionem erat extensa, habens Ierusalem non à tergo, sed à sinistris, vnde factum, vt Christiani ex sacrâ Apostolorum institutione, orent ad orientem, quasi CHRISTI Crucifixi faciem intuentes: hinc & templa eorum respiciunt Orientem, in quibus CHRISTI crucifixi imago prospicit occidentem, quam qui adorant, necessariò spectant Orientem.

Quis situs Crucifixi?

V. Nec comitatu, qui aliàs honestus, hic verò turpissimus, caruisse visus est: Dum manibus trajectis ac pedibus, trabalibus clauis in sublimè attollitur; atq; inter sicarios medius, in edito tanquam in miseri regni solio collocatur: Ita namq; Ioannes *Ibi crucifixerunt eum; & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem IESVM.* Et alioquidem ac diuerso Iudæorum, alio autem DEI CHRISTIq; consilio: Iudæorum, vt ostenderetur CHRISTVM velut facinorosum caput, & antesignanum esse; solent enim latronum

Crucifixi comitatus.

Ioan. 19. v. 18.

tronum duces cum socijs compræhensi, in medio eorum, & sublimiori quodam loco suspendi: DEI verò ac CHRISTI *consilio, vt etiam in ipsâ patibuli specie,* vt ait S. Leo serm. 4. de Pass. *monstraretur illa, quæ in judicio ipsius omnium hominum facienda discretio est, eum & Saluandorum figuram, fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret.* Nam CHRISTVS Filius DEI Cruci quam etiam ipse gestauerat, affixus est, duobus latronibus, vno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram similiter crucifixis. Pependêre igitur quo dixi, situ, cum Domino prædicti latrones, Dismas & Gismas, vt aiunt, nuncupati, eodem modo, nempè clauis confixi, licet vulgus & pictores contra nitantur. Ansam verò hic aberrandi notauit Alphonsus Tostatus Abulensium Præsul, indiscretam scilicet quorundam deuotionem, qui vt grauitatem Dominicæ Passionis magis attollerent, Dominum clauis fixum, latrones verò solis restibus adstrictos commenti sunt.

Latronum nomina.

VI. Non possum intermittere, quin huc referam mirabilem historiam de clauo quodam Dominico, quam recenset *Doctor Michael Sanchez de orthega,* libro, quem de veste nuptiali conscripsit, in quo is refert Regem Sanchium, vt filio suo & morum castimoniam & DEI timorem, vnâ cum lacte nutritio instillaret, huiusmodi illi solitum historiam denarrare. Virgo, inquiebat, fuit nobilis ac diues, juuencula speciosa, quæ sæculi eiusq; vanitatem pertæsa, ad religiosæ vitæ statum, animum appulit, placuit autem in cæteris, Parthenonem eligere, quem ex B. Benedicti normâ ac Regulâ DEO famulari acceperat, nomine Fuencobain, largâ Regum magnæ Britanniæ dote ac vestigalibus instructum. Perbellè, vt assolet, sese initia tulerunt: dilecta omnibus, DEO chara: sed dæmon inuidit, cuius astu, doloq; factum est, vt adolescens nobilis ac vanus, eam fortè fortunâ conspicatus, statim captus fuerit in oculis suis, vnum id die ac nocte secum pertractans, quâ tandem viâ ac modo, cum illâ colloqui, ac dulces audire ac reddere voces posset. Et placuit deniq; se eius Patruelem dicere, cuius obtentu fallaciaq; liberum ad eam ingressum inueniret, vti & factum est. Amoris incendio augescente, quotidie, ac frequentibus assentatiunculis & donis vsq; adeò increscente, vt sui oblita, sub noctis crepusculum religiosæ domus septa perfringere, & quo inuitabatur innocens columba, ad efferas accipi-

Mirabilis historia.

Monialis Angla ex ord. S. Benedicti.

P. Lyraus l. 4. c. 7.

tris calculas euolare percuperet. Dolosis itaq; promissis his inesca-
ta, abdicato CHRISTO, cui sacris votorum clauis confixa erat,
incestuosum balathronem sequi statuit, idq; vespertinis precibus
completis, ostio quodam transitum ex templo ad murum plateæ
conterminum, præbituro, vbi is eam superato jam muro, amba-
bus manibus exciperet.

VII. Adultâ igitur nocte, omnibus altum dormientibus,
conclaui egreditur, per ædem sacram ad destinatum locum trans-
itura stabat hîc vetus CHRISTI Crucifixi imago, vnà cum Ma-
tris effigie, sacrarum virginum cultu celeberrima, quam cum ce-
leri gressu præteriret, audire ab hac sibi visa est; eiusmodi verba:
Quò properas infelix? cur præ dæmonio, filium meum abdicas?
ad quæ percelli mulier & artubus totis contremiscere, cæptis ta-
men nequaquam desistere, sed porrò gradum incitare; tantis ne-
quissimi ignis ardoribus abripiebatur: Cùm ecce CHRISTI cru-
cifixi effigies, manibus, pedibusq; à Cruce reuulsis, fugientem
insequitur, ac manu dexterâ sublatâ, clauum quo Cruci confixa
fuerat, in eam projecit, qui maxillæ eius, lato vulnere impactus,
carni magno cum dolore inhæsit, quo illa mirandum in modum
consternata, afflictaq; semi animis in terram collapsa fuit, CHRI-
STI verò effigies ad Crucem suam reuersa priorem situm obti-
nuit, dexterâ manu ac brachio excepto, quod à Cruce refixum,
se motumq; in tantæ rei memoriam, in hanc vsq; diem perseuerat.

VIII. Aurora intereà illucescere cæperat, cum signo ad
Matutinas preces dato, sacræ virgines ad templum descendere
cæperant, quarum primæ magno quodam eiulatu, quem fortè
templi fornices ad omnes eius sinus continuò propellebant, ex-
territæ, ac cæteras præstolatæ, ingrediuntur, vbi clarè has voces
excipiunt: Venite charæ sorores, accipite vestram monialem, &
de terra leuate, quam isto vulnere sauciauit Crucifixus, ob pessi-
mam perfidiam suam tam in se, quam in Matrem commissam:
quibus illicò vehementer commotæ, ad locum deuenerunt, vbi
infelix illa CHRISTI desertrix, suo innatans sanguini, doloribus
confecta acerrimis, tantùm non animam agere videbatur; cla-
uum extrahunt de maxilla, sanguinem abstergunt, vulnus obli-
gant, ac multis delictum suum deplorantem lachrymis, ante aram
summam constituunt, choro integro quinquagesimum Psalmum
Regij vatis pænitentiâ nobilem intonante, Tanti est clauos mysti-
cos quibus CHRISTO configimur, perfidè euulsisse. CAPVT

CAPVT II.

De Titulo ad Crucem appenſo.

I.

CHRISTO in crucem ſublatô eiq; trabalibus jam clauis affixo, deerat ſolennis inſcriptio, cauſa videlicet ſupplicij, & ipſum crimen; Romana voce, *Titulus* quo & Ioannes vſus eſt, Matthæus αἰτίαν benè & ſignanter dixit: & hunc quidem Titulum præferriaut apponi damnatis, teſte Suetonio, conſuetudo erat. *Seruum carnifici tradidit, vt manibus abſciſſis circumduceretur, præcedente Titulo, qui cauſam pœnæ indicaret*: Et Euſebio de Attalâ martyre *lib. 5. c. 4.* Circumactus, tabellâ ipſum præcedente, in quâ Latinè ſcriptum: *Hîc eſt Attalus Chriſtianus*: Sed & appendi aut apponi damnatis ſolere auctor eſt. *Dio. l. 54.* loquens de ſeruo, quem Dominus agi in crucem juſſerat cum litteris (ſiue Titulo) quæ cauſam mortis aperirent: quem modum ſecutus Præſes, Titulum hic juſſit appendi, ſeu potius affigi, cuius hæc erat inſcriptio: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM tribus ſcilicet diſtinctis lineis, quarum prima atq; ſuperior Hebraicis conſtabat characteribus, ſecunda Græcis, tertia verò, quæ CHRISTO vicinior erat, Latinis, quod juſſu atq; imperio Pilati idcircò, factum credimus, quòd Romanam linguam cuperet honorare: apud Romanos enim in theatris locus infimus ſenatorum, ſumus verò plebis erat: In triumpho, poſtremus ſenatoris in triclinio, nouiſſimus Conſulis; atq; ita ſedendo, procedendo, & recumbendo vltimus erat primus, honorare itaq; linguam patriam voluit homo Romanus. Non ita tamen, quin altiore quodam diuini Nominis ſenſu, fuerit eodem impulſus, vt vel eâ demum ratione Latina Eccleſia & CHRISTO futura conjunctior, & primas latura oſtenderetur. Hebraica verò ſynagoga, ſuâ id exigente perfidiâ, & receſſũ ab eodem longius, & porrò deſerenda noſceretur.

Cauſa pœnæ præferri ſolita.

Tribus linguis ſcriptus Titulus.

II. Tribus autem his linguis vſus fuit Pilatus, quia inter cæteras principatum ducebant. Oriens, ſiquidem Hebraicâ, Meridies Græcâ, Occidens Latinâ ferè vtebatur; aderantq; eo tempore Ieroſolymis ex omnibus ijs regionibus, *qui aſcenderant vt adorarent in die feſto*, vt Ioannes cap. 12. loquitur, Gentiles Proſelyti, & Iudæi ex diſperſione gentium non pauci; nequis ergò vel

indigena, vel peregrinus, causam mortis IESV ignoret, cauit prætor eam varijs linguis euulgando in hunc modum; fuerunt autem ipsæ literæ non calamo aut peniculo in charta expressæ, sed stylo ferreo candidæ tabulæ incisæ, & minio deinde, seu rubro colore tinctæ, vt quoniam mortis causam continebant, mortis terrorem incuterent, majestatem Præsidis Romani ostentarent, ac facilius ab omnibus legerentur.

Matth.27. v.17. Ioan.19. v.21. Ibid. 6. v.14.

III. De hac Crucis Domini inscriptione S. Matthæus: *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Rex Iudæorum.* Quamobrem, cum vehementer instarent Iudæi, vt à Præside tituli ratio immutaretur, non ipse Dominus Pilato inspirauit morem gereret eorum postulationibus? An non cùm ad diadema quærebatur à Iudæis, regiam declinans auctoritatem profugit? cur moriens nomina suffert, quæ viuens recusabat? sanè licet hominum opinione inscriptio illa magis ad irrisionem & contumeliam, quàm ad gloriam; quid enim plus à coronâ differt quàm patibulum? reipsâ tamen congruebat mirificè inscriptio ei, qui patiebatur; quippe arborem illam conscenderat, vt releuaret genus humanum, vt subditis opem daret, vt libertati assereret; quare olim regiæ appellationis fastum repudiauit & externam pompam: huius metus ac periculi nunc securus ob necis extremum contemptum, quod tituli restabat, videlicet præclarum Gubernatoribus documentum Principis afflicti ob subditorum pacem, & incolumitates libenter amplexatus est; tanti verò fecit, vt non obscuro aliquo loco sculperetur titulus sed patentissimo culmine, gauisus ab vniuersis intelligi nihil se de præconio erubescere, quo vera Regis tessera abundè confirmabatur: Noster V. Beda:

Christus in Cruce verè Rex Iudæorum.

Lib. 4. in Marc.

Qui aptè etiam, quoniam Rex simul, & Pontifex est, cùm eximiam Patri suæ carnis hostiã in altari Crucis offerret, Regis quoq;, quâ præditus erat, dignitatẽ titulo prætendit; vt cunctis legere, hoc est audire, & credere volentibus insinuaret, quod per Crucis patibulum non perdiderit suum, sed confirmauit potiùs & corroborauit Imperium.

Titulus Crucis quando inuentus.

IV. Titulus hic conditus fuerat, luctuoso illo, quo CHRISTVS in Cruce expirauerat, die, vnà cum reliquis diræ mortis instrumentis, eodem in antro, vbi ille sepulturæ traditus fuerat, latuitq; hoc loco obscurus, vsq; ad annum salutis nostræ CCC. XXVI. vt sanctus Ambrosius, Sozomenus, Socrates, Ruffinus tradidere, quando B. Helena Mater Constantini gloriosissima

cum

eum inuenit, ac Romam cum cæteris Dominici trophæi insignibus detulit, atq; in Ecclesiâ S. Crucis, quam ipsa cum filio ædificauerat, collocauit. Inde centum circiter elapsis annis, Placidius Valencianus III. Imperator, filius Constantini Cæsaris, Arcadij & Honorij Impp. nepos templum hoc opere vermiculato exornaturus: Tituli huius partem vt Onuphrius testatur, supra maiorem arcum istius Basilicæ in plumbeâ thecâ, muro latericio clausit, vbi posteaquam annis circiter mille & centum occultus mansisset, demùm sub Innocentio Papa VIII. 1496. denuò repertus fuit, sed vt dixi, non integer, ac duabus velut sui partibus imminutus, qualis hodieque Romæ perseuerat. Ad reliquas autem partes quod attinet, Tholosæ in monasterio S. Benedicti, portio altera semipedalis auro inclusa, seruatur; quæ bis annis singulis 3. scilicet die Maij, & 14. Sept. populo venerandâ ostenditur, atq; aquâ illi affusâ, potati, febricitantes, optatam consequi sanitatem dicuntur. Quò reliquæ deuenerint, incertum.

Occultus mille circiter annis latuit.

Vbi eius partes.

V. Commendatur verò plurimùm frequens triumphalis Tituli huius vsus, ac meditatio, quæ vtinam Christianis omnibus adeò cordi esset, atq; illi religioso Ascetæ, de quo in theatro terræ sanctæ scribit Adricomius; Amabat hic titulum hunc tenerrimè, atq; identidem vsurpabat, adeò vt quoties in lectulo sub noctem quieti se traderet, toties frontem suam hoc titulo communiret, mentemq; CHRISTI cruciatibus collustraret, quo factum, vt in demortui fronte hæc ipsa verba litteris aureis inscripta legerentur; *IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.*

Obseruatio huius Tituli, quam proficua.

VI. De nostro S. Edmundo Cantuariensium Archiepiscopo tradit Surius: cum adhuc puerulus CHRISTVM puerum contemplatus esset, atq; adeò in eius fronte titulum Crucis illius legisset: *IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM* ab eo tempore noctè ac die studuisse acerbos illos CHRISTI cruciatus animo versare, eisq; meditandis animitùs delectari, præsertim cùm jussus esset sacratissimum illum titulum contra mortem inopinam memoriæ semper infixum ferre.

S. Edmundi exemplum.

VII. Hoc namq; fine crucifixus est Dominus, vt nobis relinqueret crucifixionis exemplum. *Remansit*, inquiebat noster S. Gregorius, *quia non omnia nostra CHRISTVS expleuit: per Crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur.* Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat:

dicebat 2. Timo. *Si compatimur conregnabimus* Coloss. 1. 24. *& adimpleo ea quæ desunt passionum CHRISTI in corpore meo.* Et fauet doctrinæ huic celebre istud visum, quod Rudolpho cuidam viro bono & Religiosissimo ascetæ objectum narrat Cæsarius Heisterrobacensis lib. 8.c. 18. in hunc modum: *Cum nocte quadam finitis precibus matutinis* suptadictus Rudolphus orationi incumberet, CHRISTVM Cruci affixum pendentem in aëre conspexit & circa eum quindecim viros singulos singulis crucibus, omnes sibi apprimè notos vtpote eisdem concregationis professos, tantoq; lumine vicimus aër illustrabatur, vt commodè omnes discernere posset. Obstupefactus non parum Rudolphus, dum oculos quaquauersus emittit, clamantem de cruce Dominum audire sibi visus est: nosti Rudolphe, & quinam hi sint quos circa me vides crucifixos? ad quæ Rudolphus noui Domine, qui sint, sed quid sit quod video prorsus non intelligo. Subjunxit Dominus: Hi soli ex omni congregatione mecum crucifixi sunt. *Passioni meæ vitam suam conformantes,* In quo religiosi illi conformauerint se crucifixo, si quæras? in obedientiâ inquam patientiâ, humilitate, propriæq; voluntatis constanti abdicatione, hæc namq; atq; his similia religiosos martyres ac crucifixos facere solent, in quorum personâ dicitur *per Psalmistam*: *Quoniam propter te mortificamur*
Psal. 43. *totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Ecce Crux de quâ in Euangelio dicit crucifixus ipse. *Qui non accipit Crucem suam &*
Matth. 10. *sequitur me, non est me dignus.* Et iterum: *Siquis vult venire post me,*
Luc. 9. *abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.* Non dicit semel, sicut Petrus, sed quotidie, sicut Antonius. Vnde meritò re, & nomine, Crucifixus habendus, quisquis id in se ipso experitur.

CAPVT III.

De CHRISTI vestibus sub Cruce diuisis.

I.

De vestibus CHRISTI sub ipsâ Cruce diuisis, hæc annotans Ioannes: *Milites ergò*, inquit, *cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem,*

partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergò ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illâ cuius sit. Vt scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserant sortem. Nullus Euangelistarum hoc mysterium siluit, omnium explicatissimè Ioannes id memoriæ prodidit. Hîc aliquot nobis quæstiones veniunt discutiendæ.

II. Quæ & quot vestes fuerint? Euthymius censet fuisse triplices: Tunicam interiorem, seu subuculam, tunicam exteriorem, & pallium. Credibile prorsùs illo æuo tibialia, cæterasque partes vestium in vsu non fuisse. Tunica interior communi Patrum priscorum sententiâ, erat inconsutilis, à beatissima virgine Matre acu è lanâ contexta. Siquidem in Oriente recepto more vestes fæminæ confecerunt. Quod Esdras asserens; *Et ipsæ,* inquit, *faciunt stolas omnium hominum*: super hanc textilem vestem sors jacta est, quam Christiani nummis facilè à militibus impetrarunt. Hæc omnium sensu paribus cum CHRISTO incrementis, ad corporis staturam auxit. Quod tanto faciliùs creditu est, cùm è sacris paginis constet, Iudæorum vestes in solitudine annis 40. non consumptas. *Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.* Hæ vestes cum paruulis videntur creuisse (Alphonso Tostato, alijsq; testibus) alioquin eæ crescentium membris non quadrassent. Vnde autem singuli in tam immensâ multitudine alias atq; alias sibi vestes parassent?

Quæ & quot vestes Christi?

3. *Esdra* 41.

Tunica inconsutilis cum Christo creuit.

Deutr. 8.

III. Ita S. Apollonij (qui quingentis Monachis Præfectus, vir miræ sanctitatis fuit) vestimenta non veterascebant cum tamen in deserto Thebaidis vixerit. 40. annis æquè ac Hebræi. *Ita Palladius in Lausiacis. c. 52.*

IV. Noster S. Gregorius Turonensis luculentè: *De hac verò immaculati agni tunicâ, inquit, quæ à quibusdam audiui, silere nequeo: Ferunt autem, in ciuitate Galathea, in Basilicâ, quæ ad sanctos Archangelos vocitatur, retineri. Est enim hæc ciuitas ab vrbe Constantinopolitanâ quasi millibus centum quinquaginta passibus, in quâ Basilicâ est crypta abditissima, ibiq; in arcâ lineâ hoc vestimentum habetur inclusum, quæ arca a deuotis atq; fidelibus cum summâ diligentiâ adoratur, non immeritò digna, quæ hoc vestimentum retineat, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.*

Greg Tur. de glor. Mart. lib. 1. *c.* 8.

V. Hæc eadem CHRISTI tunica, nunc Treueris asseruatur, coloris est in violaceum nigrescentis, quamuis color vix dignosci queat; sed omnes Regum, & Reginarum attalicæ pictæ auro virgatæ, gemmis distinctæ vestes, ad hanc vnam collatæ, arenearum telæ sunt, & meræ pannuciæ. Hæ quidem CHRISTI vestes si pretium spectetur, viles, atq; quod Isidorus Pelusiota docet, paupertino ritu confectæ, qualibus nimirùm pauperes in Galilæâ solebant vti: Mundæ tamen erant & honestæ, quod Lucas Brugensis asserit: ac vel nitidissimo cuiq; ad vsum idoneæ.

Christi vestes viles. *Lib. 1. ep. 74.* *In c. 27. Matth.*

VI. Quare cùm ex Euthimio intellexerimus, apud Hæbreos tria fuisse indumentorum genera, nempè subuculam, siue camisiam, quæ proxima cuti vestis erat: superimponi solitum amictum propriè tunicam dictam: extimam verò & superiorem vestem dici consueuisse Chlamydem, aut togam, vsitatiore voce Pallium. Qualis cùm modestorum hominum communis fuerit cultus, nihil obstat, quo minùs & hunc CHRISTI Domini fuisse dicamus.

Tria genera indumentorum apud Iudæos.

VII. Ad *subuculam* quod attinet, hanc lineam fuisse arbitratur Franciscus Rabora in cap. 19. Ioannis & auctor est Gabriel Pennotus, Tabulam sub Nicolao IV. appensam fuisse in sacrâ Lateranensi Basilicâ, continentem sanctarum illius templi Reliquiarum inscriptiones, vbi inter alia; *In terula*, inquit, *linea Domini nostri IESV CHRISTI, quam et B. virgo fecit*: distinguitq; ab inconsutili Seruatoris veste, quam ibi pariter custodiri (quod ipsi nunquam concedent Treuirenses) posteà scribit: & lanea fuisse dicitur, quam simul ac IESVS corpore grandescebat, creuisse, augmenta summentem adstruit *Baptista Mantuanus l. 1. Parthenop. Ludolph. Carthus. c. 63. Cornel. & Bonf. c. 8. Deutr.*

Subucula qualis? *Trip. hist. Can. Reg. l. 3.*

VIII. Pallium verò etiam ex lanâ, quamuis paululum grossiore fiebat, formâ quadrangulum cum fimbrijs ab vtroq; latere regestum, in fibulæ morsu humeris acquiescens, vt Tertullianus ait, & huiusmodi quidem pallij formam CHRISTVM induisse, obseruat Cornelius. *Num. 15.* & post eum Bonfrerius vti & ante vtrumq; Iansenius, *Concord. c. 34. Tobetus in c. 8. Lucæ Annot. 91.* Siquidem Christus amictu vtebatur communi Iudæis Erat autem specialis ritus nationis eius, quatuor angulis pallij fimbrias assuere, politiæ ipsorum significatiuas, vt S. loquitur Epiphanius. *Hæres. 15.* E quatuor autem pannis certo modo inter se junctis, factum fuisse genus istud palij, opinatur Bullengenus, *Lib. de vestibus Pont.*

Pallium quale.

bus Pont. & Episcoporum c. 1. ac proinde in quatuor diuisum partes à militibus *Ioann.* 19. 23. adstruit idem *Diat.* 3. *aduers. Casaubonum exercit.* 16. *ad cap.* 77.


IX. Hunc ipsum verò minimè pretiosum vestitum, CHRISTO morituro retinere non licuit, cùm tamen honestioribus morte damnatis solerent vestes relinqui. CHRISTVS igitur, inquam, vilissimus hominum atq; abjectissimus, ijs spoliatus est. Quod Chrysostomus asseuerans: *Vestes eius*, inquit, *inter se partiuntur, quod in condemnatis vilibus & abjectis, fieri solet, ac omninò destitutis.* Ne tantillum quidem aut seruare permissus est, operiendo corpori, dum viueret, aut amicis relinquere, cum exspiraret. *Solent enim ex truculentiâ*, inquit Cyrillus, *publicarum rerum vindices, non modo non condolere damnatis, verum etiam atrocius jussa peragere, & inter calamitates aliorum, robur quoddam animi ostentare. Vestes autem damnatorum, quasi hæreditatis lege, sibi vendicant.* Quod etiam nostro æuo fit, vt lictoribus aut carnificibus pro more vestimenta eorum, quos morte affecerint, cedant in operæ mercedem.

Christo etiam ex vestimentis nihil relictum.

Vestes morte affectorum etiam num carnifici cedunt.

X. Cum ergò Dominus IESVS nihil aliud haberet, milites saltem vestimenta sibi diripienda, & pro præmio scelerati ministerij, retinenda judicarunt; contumelias interim & sarcasmos in pendentem jacientes, quod pro rege Iudæorum vestimentis pretiosissimis scilicet, eoq; rege dignis, certarent, tantiq; Principis jam victi & capti spolia diuiderent; Huiusmodi contumelias audiuit, & tulit patientissimus IESVS, viditq; ipse suis oculis & coram aspexit è tormentis, quod ipsi solum supererat, vestes suas, vt spolia distrahi, easq; non egenis, non amicis, sed impijs in pretium occisionis cedere.

* *
*



PARS IX.

CAPVT PRIMVM.

IESVS in Cruce à circumſtantibus, ac prætereuntibus illuſus procaciter, grandibns conuitijs ſannisq; laceſſitur, nec turbatur, ſed inimicis veniam exorat, & latroni in ſe reuerſo Paradiſum donat.

I.



Endente in patibulo Creatore vniuerſa creatura congemuit, & Crucis clauos omnia ſimul elementa ſenſerunt: dixit olim pro concione diuus Leo. *Certè à ſextâ horá tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſq; ad horam nonam, inquit Matth.* 27. Itaque ſub initum horæ ſextæ, ſeu noſtræ duodecimæ, jam Dominus in Cruce pendens, è ſeptenis, tria priora verba protulit: his veniam ſuis hoſtibus, latroni Paradiſum, Matri filium dedit. His dictis, tenebræ cæperunt orbem totum operientes. Diſpulſis tenebris, exclamauit CHRISTVS, *DEVS meus DEVS meus, vt quid dereliquiſti me*? Ita quatuor poſteriora verba eſt elocutus die jam reſtituto. Ita nigrum hoc tentorium, horis tribus eſt viſum, quibus Seruator orbis ſilebat, & ſilens orabat. Veſtes diuiſæ, ludibria ingeſta, propinatum acetum, Titulus lectus, ſanguinis & aquæ fluxus ſpectatus, cùm antè, tum poſt tenebras.


Quâ horâ Dominus Crucifixus.

Verba tria priora quando protulerit?

Tenebræ tribus horis durarunt.

II. Iudæi vero non poterant adhuc animum explere, ſed in patibulo pendentem videntes, amaris eum impetunt verbis, quæ rebus grauiora videbantur: ita vel illud pſalmi 68. explentes: *Quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*: quaſi diceret, nec jam vulneribus confoſſo, ac tantum non emorienti pepercerunt, ſed cùm nil amplius quod adderent, haberent, linguarum aculeis me ſunt perſecuti. *Semen nequam*,

Iudæorum conuitia & ſannæ in Chriſtum.



DVRE VIATOR ABIS? NIHIL HÆ SPECTACVLA CVRAS?
PENDENTI CVM SIS VNICA CVRA DEO.
TOTA SVO MORIENTE DOLET NATVRA MAGISTRO;
NIL, QVI SOLVS ERAS CAVSA DOLENDA DOLES. 8

nequam, filij ſcelerati, ſanctum Iſrael blaſphemauerunt. Druthmarus ait, qui eum virtutes edentem æquis oculis aſpicere præ liuore nequiuerant, nunc coram Cruci affixo ambularent, otiosè contemplantes, quod pridem videre cupiuerant, & capita ſua mouentes præ gaudio, quod ex eius calamitate hauriebant, tanto ante intellexiſſe id viſus eſt Propheta regius, cùm ex CHRISTI perſonâ cecinit: *Omnes videntes deriſerunt me, locuti ſunt labijs & mouerunt caput; fixuris clauorum*, vt ait S. Leo, *addentes tela linguarum.* *Iſa. 1. v. 4.* *Pſal. 21*

III. Et quam acerba & moleſta hæc fuiſſe arbitrabimur? DEO debitum honorem ac dignitatem ſublegebant, conuitijs, ac maledictis onerabant, conficta mendacia temerè in vulgus ſparſa obijciebant, oſtentabundam cum infirmitate jactantiam improperabant, quia virtutem, quam ſibi aſſeruerat, nunc, cùm neceſſe foret, in re longè facillimâ, non impleret.

IV. Sed nil vanè aut temerè de ſe CHRISTVS prædicârat, quod verò de templo corporis ſui ſoluendo, deſtruendoq; edixerat, id jam reapſe facere, atq; in diem tertium abſoluere, effectumq; dare, citiſſimè properabat: quid igitur veniæ erit, S. Hilario teſte, cùm poſt triduum reædificatum DEI templum in corporis reſurrectione cernetur? Verum nec hiſce cancellis, quantumuis laxiſſimis, tenuit calumniandi licentia, conuiciũ faciunt, longè grauiſſimum. *Si filius* inquiunt *DEI es*, vti gloriatus es, ac porrò docuiſti, imò & in judicio profeſſus es, *deſcende de Cruce*, excuſſisq; clauis, ſanus abſcede, neq; enim conuenit filio DEI Crucem pati, quod cum non facias, potentiæ inopiam prodis.

V. Tacenda fortaſſis in vulgo Barbaries, niſi hæc quoq; in ſacerdotibus, ac ſcribis inuenta fuiſſet, quorum erat crudelior inſania & nequius cauillum: *alios* inquiebant, *ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Sacerdotum & Scribarum intolerabilior calumnia.

IESVM nequaquam alloquuntur, vt quem tantillo non dignentur, ſed inter ſe mutuò colloquentes, obliquè in eum hæc audientem tela contorquent: *Si Rex Iſrael eſt*, vt ſe glorioſè jactauit, *Deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.*

VI. Quid genimina viperarum exprobratis morituro regnum? ſub DEO Principe, ſi neſcitis, dolorum nox, aurora eſt regni. Quid nomen diuinitatis obijcitis, vt ſe Cruci ſubducat? virga Regni Crux eſt, ſceptrum non abijcit regnaturus. Quid verborum aculeis prouocatis regnantem à ligno DEVM? veſtris

clauſis

clauis fixa profundius Charitas est, vt moriturus sibi, viuat saluti nostræ.

VII. Postquam igitur effusâ ad spectaculum ciuitate, hi insultare misero, hi exprobrare regnum, hi figere maledictis immites inter carnificum manus, nequaquam desisterent; ipse flexis ad sui pietatem elementis, sole atrato die ne interesse cogeretur, diffugiente, de importunis homicidis solicitus; quos ad pænam tanta rerum confusio requirebat, Patrem pro illis, vt ignoscere velit, implorat, quorum ruinæ jam jam imminenti, hic procul dubio patrocinium subtraxisset, nisi illas morientis filij voces eximiæ clementiæ internuntias excepisset, vt jam toti mundo, tam pio sanguine consperso, tantum facinus condonaret. *Pater*, inquiens, *dimitte illis non enim sciunt, quid faciunt.*

Crucifixi oratio exaudita fuit. *D. Tho. p. 3. q. 21. a. vlt. ad 2.* VIII. Quis autem harum precum effectus fuerit, quærere superuacaneum reor, DEI filius erat, ac pro filio DEI agnoscebatur, & Pater filium audit semper. *Cælestis itaq; Pater*, vt S. Thomas loquitur, *CHRISTI orationem exaudiui, & Iudæis omnibus, pro quibus ille preces fudit, ignouit.* Orauit autem pro solis prædestinatis, qui deposita cæcitate, & liberæ voluntatis prauitate, in CHRISTVM Messiam posteà crediderunt, quorum primus latro fuit, qui, teste Theophilacto, ex hac voce, quam pro crucifigentibus fecit Dominus agnoscens bonitatem eius, dixit ad IESVM: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum & exauditus est.*

Latronis conuersio vnde?

Quæ istam fidem exhortatio persuasit, quæ doctrina imbuit, quis prædicator accendit: Non viderat prius acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, Cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum: ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant, & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem vidit supplicij suum esse consortem, sed omnia hæc, vnum maximumq; miraculum explebat, quod pro inimicis supplicantem, ac pro ijs apud cælestem Patrem intercedentem audisset.

IX. IESVS coram Principe Sacerdotum constitutus, cùm interrogaretur ab eo, nihil ei respondebat: idem coram Pilato in silentium tenax, nam non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses, deniq; & multis sermonibus interrogatus ab Herode, labia non soluit. Sed qui his non responderat, latroni supplicanti, *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*, respondit continuò: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Matth. 26. v. 63. Idem 27. v. 14. Luc. 23. v. 10. Idem 23. v. 42.

Quænam

Quænam igitur ratio eſt, vt Principes affari contemnat, latronem vilem prorsùs hominem alloquatur? Mundani optimates interdum ſublimitate dominationis arbitrantur indignum, cum plebeijs ſermonem habere aliquē, neq; cum alijs colloquuntur quàm qui ex nobilitate ſunt; at verò Principum reſpuere colloquia, & confabulari cum proletarijs & abjectis, quam nouum eſt? Ego ſanè arbitror & CHRISTVM obſeruare, quoniam nobiliſſimus ipſe exiſtat, vt non niſi cum nobilitate & Principibus ſermones texat; ſed explorandum, quinam Saluatoris Iudicio regiæ ſtirpis, qui vulgaris lineæ, & de obſcuris Parentibus nati? etenim CHRISTI ſupputatione, qui dæmoni famulatur, quem vitia deturpant, is viliſſimus, abjectiſſimusq; cenſetur. Nobilium autem claſſibus ſcribuntur æquitatis & juſtitiæ amatores, hi veri Principes, hi ex clariſſimorum ſtemmatibus; quoniam ergo impij erant ſacerdotum Archiantiſtes, Pilatus, atq; Herodes, de infimâ eſſe plebe reputabantur à Saluatore; latro autem, quia conuerſus ad Dominum ſanctus factus eſt, Princeps & nobilis habebatur; ſi ergò mos eſt, Dynaſtas, & nobiliſſimos non niſi cum nobilitate colloqui; rectè omninò IESVS contemnebat, vt Herodi, vel Pilato, vel ſacerdotum ſupremo reſponderet, nam hi ob improbitatem, nobilium albo excluſi erant; latro autem propter juſtitiam & religionem nobilitate fulgebat, atq; ideò cum illo tanquam cum nobili nobilis loquebatur: Arnoldus Carnotenſis, de ſeptem verbis Domini in Cruce: *Modò vltro eloquitur, qui paulò antè ad Herodis & Pilati inquiſitiones conticuit; curioſitatem, & faſtum tumentium hominum aſpernatus; pauperes Spiritu de patibulo edocet.*

Chriſtus Sacerdotum Principi, Pilato Herodi reſpondere abnuit, cum latrone verò in Cruce colloquitur tanquam Nobilis cū Nobili.

X. Latronis porro conuerſionem per Virginem Matrem impetratam, tradunt Patres, quem cum CHRISTO Cruci affixum, ac poſt conuicia plurima, conuerſum, in eadem damnatione cum illo ad extremum vſq; Spiritum ferunt placidè perſeueraſſe, non ſine eius patrocinio, quæ patienti filio media inter CHRISTVM & latronem Mater adſtabat, vt intelligeretur ad mirabilem illius conſtantiam & conuerſionem, referendam eſſe in mediatricem MARIAM, quæ ideò, vt S. Bernardus loquitur, *media inter peccatores & filium collocatur.* Adde tunc temporis, ante illam ſolis ecclypſin, vt è ſitu Crucis apparet, vmbram virginis dextrorſum fuiſſe protenſam verſus latronem, vt in ipſamet

Per D. Virginem impetrata.

R vmbrâ

vmbrâ luce clarius appareret, conuersionem peccatorum, atq; in cruciatibus constantiam ad vmbram, id est, protectionem virginis pertinere.

Latro olim beneficium Mariæ præstitit.

XI. Si autem cuipiam petere in mentem fortasse cadat, & quid felix latro præstitisse aliquando potuerit, quo Virginis opem tam ambiguo tempore promeritus fuerit, dicam. Beneficium aiunt, Deiparæ præstitisse non leue in viâ, quâ fugiebat in Ægyptum, cuius ipsa non immemor, quod olim acceperat, sic voluit compensatum: idq; tradunt noster S. Anselmus libro ad sororem, Ludolphus de vitâ CHRISTI p. 1. c. 13. Dionysius Richelius a. 12. in reg. annot. 12. Recupitus de præd. aliijq;. Vnde patet quam benè ipsa de se, totâ adstipulante Ecclesiâ dicere possit: *Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Impossibile namq; est vt ait S. Martyr Ignatius aliquem saluari peccatorem, nisi per tuum virgo auxilium & fauorem: quia quos non saluat DEI justitia, saluat sua intercessione MARIÆ infinita misericordia.* Et S. Germanus ser. de Zonâ: *Si tu*, inquit, *nos deserueris, quid de nobis fiet, O Spiritus & vita Christianorum? Tolle*, inquit S. Bernardus, *hoc corpus solare, vbi dies. Tolle, MARIAM hanc maris stellam, quid nisi caligo inuoluens, vmbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquentur?* Et apud S. Antoninum. *Sicut impossibile est, quod illi à quibus MARIA oculos misericordiæ suæ auertit, saluentur: ita necessarium, vt hi ad quos conuertit oculos, pro eis aduocans, glorificentur.*

Prou. 20.

Quod ipsa compensat.

CAPVT II.

D. IESVS è vitæ statione abiturus, rebus omnibus, quantumuis charissimis, vltrò se exspoliat, dum Matrem inprimis Discipulo transscribit.

I.

IAm dulcissimâ libertate suâ quam à cælesti Patre mitissimus IESVS acceperat, se volens abdicârat, jam corpus, quod à Virgine Matre traxerat, nocentium manibus tradiderat, à quibus acerbissimè Cruci affixus, ne terræ quidem tantum possidebat, quantum

quantum vestigio premeret: Discipuli fugerant, vestes, quod vnum sibi patrimonium à Matre supererat, milites sorte diuiserant; vnicus ille è fugâ redux, jam metu posito, factus audacior Discipulus, vnâ cum Matre ad Crucem accesserat, quos vt vidit, supremis testamenti tabulis se quoq; & his exuere cupiens Matri Discipulum, ac Discipulo Matrem consignat, *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*, ac deinde ad Discipulum conuersus, quam postremò abdicasse opportuit, *ecce Mater tua.* CHRISTVS Matrē Discipulo transcribit.

II. Virgo Virginum dum sub Cruce staret martyrum martyr facta est; vti enim virgines omnes virginitatis flore, ita omnes IESV CHRISTI martyres martyrij fructu superaret. Et sanè quemadmodum interim dum viuebat, præ charitatis excessu, haud dubio expirasset, nisi extra ordinario quodam robore præseruata fuisset, ita nec sine eodem fortitudinis dono, dolorum quibus opprimebatur, magnitudinem tolerare potuisset. Maria martyr martyrū.

III. Virginis Maris exemplo discamus ad mortem vsq; in DEI seruitio permanere, & si sub Cruce standum foret, discamus item sorte nostrâ, qualicunq; demùm contenti viuere. Ioannis vero exemplo, discamus eandem sanctissimam virginem in Matrem seligere, ad eamq; in omnibus necessitatibus confugere. O terq; quaterq; beata illa anima, cui Dominus ait, sicut Patrem tibi meum dedi, qui tuus etiam sit Pater, ita & Matrem do, quæ deinceps sit tua. Quid ab his discendum?

CAPVT III.

Extrema CHRISTI verba proponuntur, & paucis expenduntur.

I.

IAm rerum vniuersitas eum, quem hominum genus exuerat sensum pietatis induerat, cum meridianis tenebris flebiliter atrata, trium spatio horarum sui luxerat injurias conditoris: siluerat ipse toto illo tempore, psalmis & orationibus intentus, luce redditâ circa horam nonam, & ipse loqui cæpit: *heli, heli* voce magnâ inclamans, *lama sabactani*? quod est, interpretatum, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? Non fuisse hæc pusillianimi suspiria, neq; abjecti deliquia, sed plena fortitudinis,

& magnanimitatis ſigna ac notas, tam perſonæ ſtatus atq; conditio, tam ipſa Ratio loquebatur.

Derelictio Chriſti in quo ſita?

II. Derelictio porrò IESV CHRISTI duabus potiſſimùm in rebus ſita erat; Primò, quòd Pater æternus illum pati ſineret, horribilibus illum cruciatibus, quibus tum exagitabatur, non eximendo, & nullum ei conſolationis genus immittendo. Secundò, quòd aſſiduè, & ſine ceſſatione pateretur. Diſcamus hinc tantillum hoc quod patimur, non magni facere, cùm tanta ſit inter nos & paſſiones noſtras, & paſſiones illius diſtantia; Nouerimus DEVM ſæpè nobis præſentem adeſſe, cùm eum putamus abeſſe; è contrà recordemur eſſe contra ſpem ſperandum, eoq; ad DEVM recurrendum ardentiùs ac ſæpiùs, quò id quod patimur grauiùs, & duriùs. Diſcamus pro felici fauſtaq; moriendi horâ Dominum rogare, cùm ipſe Dominus moriens tanto in angore fuerit.

Sitis ardentis quanta vis?

III. *Multùm poſſunt dolores ad commouendam ſitim*, ait S. Cyrillus, *innatum enim calorem exagitantes, vel quod in profunditate humidum eſt conſumant vel igneis ardoribus dolentis viſcera exurunt.* Milites, cùm Dominus primum in montem Caluariæ venerat, pro more illi vinum mixtum obtulerant, at vbi ſitire ſe exclamauit, ad eum refocillandum ſpongiam felli & aceto intinctam arundiniq; alligatam ori eius obtulêre; hæc dum Dominus guſtaſſet, caput quod ſolum illi liberum erat, auertit. Mirum ſanè eum, qui è maxillâ aſini ad Samſonis ſitim reſtinguendam fontem elicuerat, filio ſuo vel aquæ guttam denegaſſe: ita ſcilicet omne in genere peccatum, & in primis gulam & ebrietatem deteſtabatur. Cæterùm ſi ſitientem Dominum imitari voluero, trium habere ſitim rerum, verbo hoc *ſitio* comprehenſarum, debeo; DEO ſcilicet obediendi, propter DEVM patiendi, & deſiderandi, omnis vt mundus DEO ſeruiat.

Sitim Domini quomodo imitemur?

IV. Ergò ſub vltimis vitæ ſpatijs de ſiti in Cruce IESVS conqueſtus eſt: Sed ecce non multò poſt aperto à lanceâ militis eius latere, ſanguis & aqua profluxerunt: Si igitur intùs aquarum fontes, vnde nam ariditas? Retulit ad ſpiritualem ſitim Arnoldus Carnotenſis: *Mirum dictu, tremendum relatu, profluentibus de ſacro latere aquis viuentibus, & emanantibus de fonte vbere largis liquoribus, CHRISTVS ſitire ſe perhibet, & ipſe mundũ irrigans & fæcundans de ariditate cauſatur: omninò ſanè ſitis illa exprimit,*

Ioan. 19. v. 28.

Tract. de 7. Verb.

Chriſtus queritur de ſiti non corporeâ, ſed ſpirituali.

raros tunc

raros tunc extitisse qui crederent, &c. Nunquid sitis hæc est, de quâ sub personâ CHRISTI Dauid canebat? *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS.* Ceruus namq; genus venenatum serpentes deglutiendo, vnde præcordia arescunt, quando alimentum fit ei, in suam conuertit substantiam: peccatores itaq; reptilibus iniquis significatos, eo vsq; CHRISTVS optat emendari, vt CHRISTO ipsi velut concorporati perfectione quàm simillimi euadant, quod est spiritu consummatos esse. Quoniam igitur horum perfectorum exiguus est numerus, vt desiderij æstum conciperemus, sitire se vehementer, ceruorum videlicet in morem asseuerat, nam id quidem sitire dicimur, quod cupidissimè optamus. Non est autem extraordinaria, nimiumq; efferuens cupido eorum, quæ vulgaria sunt, & facilè occurrunt; tanta igitur sitis de peregrinâ re est, nempè statu perfectorum; *Cupiditatis enim vehementiam*, inquit Nyssenus, *& violentiam sibi comparat Psalmorum scriptor, adductâ sitientulosissimâ, quæ in animantibus est naturâ, vt maximè nobis ob oculos ponat intensionem cupiditatis per animal, quod suprà modum siti cruciatur, & ardet, hoc autem animal ceruus est, cui consuetum venenatarum bestiarum cibatu vesci, calidi verò & igniti sunt huiusmodi animalium succi, quibus ingurgitatus ceruus fit necessariò aridior, & ob id vehementiùs appetit aquam, vt curet exortam ex eiusmodi pabulo ariditatem.*

Psal. 41. v. 1.

Cap. 5. de inscriptione Psalmorum.

Ceruus cur præ cæteris animalibus siribundus.

V. Prætereà multorum Sanctorum opinio, nonnullis reuelationibus, vt fatetur Landspergius, confirmata est, lanceam non solùm latus transisse, sed ipsum etiam cor aperuisse. Cor est locus ac sedes amoris, compassionis & misericordiæ: quare CHRISTVS hac apertione suum nobis amorem & viscera misericordiæ, quæ erga omnes homines habet, ostendit, nosq; inuitat ad introeundum in cor suum, idq; capessendum pro nostrâ habitatione, pro diuino receptaculo, pro cælesti refugio, pro secessu delicijs pleno, pro lecto valdè salutari, pro pharmacopolio spirituali medicinis, remedijsq; cælestibus referto: Ac si tentationibus concutimur, aut ab inimicis exagitamur, inuitat nos, vt eò nos recipiamus, quò inibi defendamur, roboremur, & ab omni damno, quod inimici nostri nobis dare possent, seruemur: si item virtutum, donorum Spiritus sancti, diuinorumq; solatiorum auidi ac famelici, & aquæ gratiæ siti enecti fuerimus, inuitat

In aperto corde Christi quies nostra.

nos ad intrandum, vt hisce donis augeamur, hisce donis ditemur, & gratiæ abundantiâ recreemur: si deniq; à vitijs & peccatis vulnerati, saucijq; fuerimus, inibi medicinam, veniam, veramq; salutem consequamur. S. Augustinus fassus spem magnam, quam ei lateris CHRISTI apertio dabat, & remedium, quod ingens illic reperiebat, *Longinus*, inquit, *aperuit mihi latus CHRISTI lanceâ, & ego intraui; & ibi requiesco securus*; ibi commoror cum magnâ spe remedij cum solatio, cum suauitate, ibi cum ingenti gustu pascor.

Man. cap. 23.

Quando Redemptor ait: *Consummatum est*, oculos in omnes labores & tormenta, quæ se DEVS Pater jam inde à primo Incarnationis suæ instanti, ad vsque vltimum vitæ articulum pati voluerat, conjecit; hocq; verbum, velut gratius agens, & in grati animi signum protulit, vti & illud pridie in cænaculo: *Pater ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi, vt faciam.* Secundò, considerauit omnia aduentus sui in mundum, subjecta & causas, vt scilicet Adami peccato satisfaceret, tartareo serpenti caput comminueret, mortem & infernum destrueret, cæli januam reseraret, magistri in morem perfectionis doctrinam doceret, generosum virtutum omnium exemplum monstraret, consilia Euangelica edoceret, & tam Sacramenta, quàm nouæ legis sacrificium institueret.

Consummatum quid significet?

VI. Videns ergò ex parte suâ se perfecisse & præstitisse quidquid ad fines hos assequendos erat necessarium, magnâ animi lætitiâ ait: *Consummatum est.* Respexit etiam ad aduentus sui figuras, quæ omnes in se jam completæ erant. Meum est etiam considerare, dicturum illum iterùm aliquando: *Consummatum est*, quando scilicet ignis omnia deuorârit, & hædis hinc & illinc ouibus constitutis dicet: *Consummatum est*, transijt mundus cum concupiscentiâ eius, pænitentiæ, & benè agendi tempus elapsum est, iniquorum voluptates, & piorum labores finem accepêre, diaboli potestas & regnum præscriptum est, electorum numerus completus, & mensura jam ad summum peruenit. Atq; vt verba hæc habebunt in omnibus in fine mundi locum, ita & in me meritò ad extremum vitæ cum peruenero.

VII. Septimum Domini verbum fuit: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum* Porrò vox hæc miraculosa fuit, & vltra naturæ exhaustæ vires. Primò vt victoriam suâ in morte consistere ostenderet, secundò, verum se esse Gedeonem, qui Madianitas

tartareo clamore & fracto humanitatis suæ vase profligauit. Tertiò potuisse se viuere modò voluisset, & habere potestatem vti alias dixerat, & exponendæ vitæ suæ, & iterum eiusdem, quandocunq; sibi placeret, assumendæ. Quartò, vt ostenderet, quam meritò anima eius sanctissima inuita à corpore auelleretur, quod non minùs ac ipsa, verbo vnitum erat, quodq; illi ad omne virtutum genus exercendum, organi loco, & in redemptionis opere triginta tribus annis perficiendo, tanto adiumento fuerat. Cæterùm suum Redemptor DEO Patri Spiritum commendans, simul etiam omnium electorum suorum Spiritum, quem velut suum existimabat, illi commendauit. Danda mihi igitur opera, vt horum sim de numero, quod vt contingat tempori, & maturè illi exercitio vacandum, quod mihi in cælo æternum futurum est, primo scilicet principio meo me vniendo, cum juxta Apostolum, qui accedit ad DEVM, vnus cum eo Spiritus efficiatur.

CAPVT IV.

IESVS inclinato capite tradidit Spiritum, & mox velum templi scissum est.

I.

IAam corpus boni IESV destitui sanguine, lethali frigore, tentari membra, occupare ora pallor, defluere ceruix, natare in morte oculi. Itaq; informi ligno, infami colle, inter sicarias medius, amicorum dolos, vim hostium expertus, cruciatibus, probris, angoribus satur, defunctus Patris imperio, nostræ salutis cupidus, prodigus suæ cum generosâ se voce incitasset, inclinato capite, O virum egentissimum, qui diu quæsiuit, vbi caput suum reclinet, neq; inuenit locum molliorem ad quietem, quam mortem, in eius igitur gremio, in lectulo Crucis, in culcitâ plagarum, sub conopæo meridianæ caliginis, *inclinato*, inquam *capite tradidit Spiritum*.

Christus inclinato capite tradidit Spiritum.

II. Palmam magno consensu Doctorum pleriq; , ex quibus multis recenset Delrius in hæc verba, Crucis triumphale lignum exponunt, meritò palmæ Crux sancta comparata est, eius enim naturæ palma est, vt impositam grauis sarcinæ molem firmissimâ sustineat constantiâ, quoq; magis oneratur, resistit ponderi, vt Plinius

Plin. l. 16. c. 41. Pier. l. 50. Hieroglyph. Ioan. 19. v. 30.

Palma quo grauius oneratur, eò magis erigitur: sed Christus præ nimiâ grauitate peccatorum caput inclinauit.

Plinius insinuat, & Pier. Ah salutari ligno quàm immania perferenda onera? qualia hæc? peccatorum nimirùm, hæc enim CHRISTI dorso imposita sunt, quem portans arbor salutis, & peccata gestabat; percipiamus ab Apostolorum Principe: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, vt peccatis mortui, justitiæ viuamus: Cupisne discere, num oneris senserit magnitudinem licet tantus gigas? *& inclinato capite*, ait Ioannes, *tradidit Spiritum*: cur non erecto vultu tam potens & dominator? nempè ferebat in corpore suo super lignum peccata totius generis humani, tanquam grauabatur onere, sed non abjecit sarcinam victus à pondere, imò potiùs exspoliauit potestates & principatus, & deleuit quod aduersum nos erat Chirographum; Quò tamen doceremur peccati intolerabile esse jugum, quasi ipse quoq; aliquantum succumberet, verticem deposuit eorum more, qui sarcinâ prægrauati quamuis non repellant à se, inclinantur tamen, non displicuit interpretatio hæc P. Salmeroni, qui ait; *Et naturam quidem nostram imposuit super Deitatm, & Hypostasim in inearnatione: graue autem & onerosum eius, id est peccata quoad causam generalem & meritum attinet, in corpore suo super lignum Crucis expianda portauit. Quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vbi præ grauitate oneris caput inclinauit.*

III. Benè *Spiritum tradidit*, vt ait S. Ambrosius, *qui non inuitus amisit*: & cui tradidit? Patri à quo acceperat illum: Emisit à carne ad Patrem, inquit idem S. Doctor, quasi columbam ex arcâ, quæ tandem regressa, ramum oliuæ in signum pacis ore suo gestauit, sic vitarum omnium proseminator & custos DEVS, vestigijs certis properauit ad mortem, vt nos vestigijs suis ad vitam nullo æuo terminandam reuocaret: quod præclare his verbis expressit S. Augustinus: *Non erat illi vnde haberet mortem, non erat nobis vnde haberemus vitam. Accepit ille mortem de nostris, vt daret nobis vitam de suo, & inclinato capite tradidit Spiritum.*

S. August. ser. 144. de temp.

IV. O! miracula, mortuum vides? at nunquam IESVS saluti nostræ verius vixit, eius enim occasus, salutis nostræ aurora est. Victum credis? nunquam euidentiùs vicit, vicit scilicet, spoliumq; mortalitatis suæ victrici ex arbore trophæum justissimum statuens suspendit, ita liuore suo, ac sanguine triumphalibus velut litteris charitatem suam in nobis commendans, quoniam *cùm adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est*.

Rom. 8. 5.

V. Cùm DEI Filius hominum obedientiſſimus in Cruce obijſſet, orbe toto lugubris clamor eſt auditus? *Luxit & elanguit terra, Iſa. 33.* E diuerſis quatuor locis hæc comploratio eſt orta, è templo, è tumulis, è petris, è tellure ipsâ. De his Matthæus clariſſimè: *Et ecce,* inquit, *velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſq; deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.* Signa poſt mortem.

VI. Prodigium primum Velarij ſacri ſciſſura. Porro Hieroſolymæi templi velum duplex fuit. Exterius vnum ante Sancta, interius aliud ante ſancta Sanctorum prætenſum. Primi illius expreſſam mentionem faciens Paulus *Heb. 9. Poſt velamentum autem ſecundum,* inquit, *tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.* Ariſteas fratri Philocrati iter ſuum ad Pontificem Eleazarum deſcribens, hoc velum vocat *Spectaculum jucundiſſimum*, quo nunquam facile ſatiari poſſis, præſertim cùm illud vndante vento criſpatur. Ioſephus ex Hebræis Græcus Scriptor, Solymæum templum vna cum hoc velamine (quod aulæum nominat) depingens: *Fores habebat aureas,* inquit, quinquaginta cubitis altas ſedecim latas. Adhæc aulæum longitudine pari, hoc eſt velum Babylonicum hyacintho & byſſo & cocco, & purpurâ variatum, mirabili opere factum, neq; contemplationis expers colorum permixtione, ſed velut omnium rerum imaginem præferens. Cocco enim videbatur ignem imitari, & byſſo terram, & hyacintho aërem, ac mare purpurâ, partim quidem coloribus, byſſo autem ac purpurâ origine: quoniam byſſum quidem terra, mare autem purpuram gignit. Eratq; in eo præſcripta omnis cæli ratio præter ſigna. Introgreſſus autem inferior pars excipiebat, cuius altitudo quidem habebat ſexaginta cubitos, & longitudo totidem, & latitudo viginti. Veli duplicis deſcriptio. *Ioſep. l. 6. c. 6. de bello.*

VII. Sed vtrum è duobus his velis ſciſſum eſt? ſunt, qui exterius dicant: ſunt, qui aſſerant interius, quod à Matthæi verbis non diſſonat: aliqui vtrumq; laceratum affirmant, quod Alphonſo Salmeroni ſatis probabile videtur. Hoc factum, ſimul atq; Dominus IESVS animam efflauit. Sciſſum eſt autem velum templi, vt hinc euidens fiat, fidei ſecreta & religionis myſteria, quæ anteà abſcondita erant, jam in apertum proferenda, & peccata, quæ DEVM inter & nos obſtaculum ponebant, ſanguinis eius effuſione eluenda. Cur velum templi ſciſſum ſit?

CAPVT V.

CHRISTO moriente aperti ſunt tumuli.

I.

ET *Monumenta aperta ſunt*, inquit Matthæus, *& multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*: Disjectis terræ motu aut fiſſis marmoribus, quibus tegebantur, hiarunt tumuli. Mortui ſuum Dominum agnoſcebant, quem noſſe viui nolebant; eamq; cædem, vel clauſis oculis ferre quaſi horruerunt mortui, quam inferre non verebantur viui. Nam & hoc ſingulari prodigio declarauit DEVS, eum qui interfectus, ſuum eſſe filium, non ſolum cæli & terræ, ſed & mortuorum Dominum, inferorum domitorem, qui carcerē mortis ſubeat, non vt clauſus illic maneat, ſed vt captiuos omnes educat Monumenta aperta ſunt. Inquit Hieronymus, in ſignum futuræ reſurrectionis. Hæc extra vrbem ſic erant reſerata, vt ipſa cerni poſſent cadauera, certè à Romanis alijsq; gentibus. Nam forſan Iudæi homines ſcilicet religioſiſſimi noluerunt egredi, ne aſpectu illo mortuorum contaminarentur. Etſi verò moriente CHRISTO aperta fuerint monumenta, nullus tamen mortuorum ante CHRISTVM rediuiuum in vitam redijt. Quod dilucidè S. Hieronymus his verbis conſignat; *Et tamen cum monumenta aperta ſint*, inquit, *non anteà reſurrexerunt, quàm Dominus reſurgeret, vt eſſet ipſe primogenitus reſurrectionis ex mortuis; nimirum vt teſtimonio illorum pariter & exemplo CHSISTI reſurgentis gloria teſtatior redderetur.*

S. Hier. Epiſt. 105. quæſt. 8.

Mortui non ſurrexerunt ante Chriſtum.

II. Quæres, an hi ſancti poſt reſurrectionem rursùm ſint mortui, & ad ſua monumenta redierint, an verò manſerint viui & glorioſi perpetim? Non vlli (quos recenſet Cornelius à lapide) cenſent eos rursùm eſſe mortuos, ac reſurrecturos cum alijs ad vitam beatam in die judicij; id enim videtur innuere Paulus Hebr. 11. dicens, *vt non ſine nobis conſummarentur*. Veriùs alij cenſent, ſanctos hos non ampliùs eſſe mortuos, reſurrexiſſe ad vitam immortalem: tum quia hoc decebat CHRISTVM, vt fructum mortis & reſurrectionis ſuæ ſtatim oſtenderet in beatâ hac Sanctorum reſurrectione: tum quia animæ horum jam erant beatæ, ac proinde par erat, eas non vniri corporibus, niſi glorioſis & immortalibus; tùm quia exigua fuiſſet eorum felicitas, ac longè maior

maior fuiſſet eorum miſeria, quòd mox rurſum deberent mori; maluiſſent enim non reſurgere, quam, tam citò rurſum mori; tum quia congruebat, vt hi ſancti CHRISTVM, reſurgentem & ſcandentem in cælum, eiusq; triumphum ſuâ reſurrectione decorarent, quaſi captiui à CHRISTO redempti, & à morte liberati, ac quaſi ſpolia, quæ CHRISTVS morti & inferno eripuerat; tum deniq; , quia conuenit vt CHRISTVS in cælo habeat Beatos, quorum aſpectu & collocutione externâ ſe paſcat eius humanitas; ne alioqui ſolitaria ſit, experſq; humanæ conſolationis.

III. Porrò, quinam fuerint hi Sancti, qui cum CHRISTO ſurrexerunt, non planè liquet. Veri ſimile eſt eos in primis fuiſſe, qui peculiarem ad CHRISTVM relationem, vel parentelæ vel promiſſionis ſibi factæ, vel typi & figuræ vel fidei & ſpei, vel caſtitatis & ſanctitatis habuêre, vti fuêre Adam, Abraham, Iſaac, Iacob, Melchiſedech, Dauid, qui non niſi in terrâ promiſſionis ſepeliri voluerunt, vt reſurrectionis CHRISTI forent participes. Item Iob & Ionas, qui reſurrectionem CHRISTI in ſe adumbrarunt. Ad hæc Moiſes, Ioſue, Samuel, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, alijq; Prophetæ. Vnde Pineda in *Iob. c.* 19. cenſet, tunc pariter reſurrexiſſe Danielem, & tres eius ſocios Ananiam, Azariam, & Miſaêlem: ſed his obſtat, quòd horum corpora, & reliquiæ oſtendantur Romæ, in templo S. Adriani, vti obſeruauit Lorinus, Act. 2. qui & addit, nec Euam, nec aliam fæminarum tunc reſurrexiſſe, quia decebat, inquit ipſe, Deiparam eſſe primò genitam reſurgentium inter fæminas, ſicut CHRISTVM inter viros.

Qui fuerint hi Sancti?

Deipara prima fæminarum reſurrexit.

IV. Verùm Euam cum Adamo, quaſi Matrem omnium, reſurrexiſſe opinatur cum alijs Franc. Lucas, qui & adijcit cum S. Epiphanio in Ancorato, videri potiùs tunc reſurrexiſſe eos, qui nuper obibant, erantq; teſtes magis noti Apoſtolis, cæteriſq; Iudæis, vnde ijs magis perſuadere poterant, CHRISTVM reſurrexiſſe, & ſuæ reſurrectionis eſſe auctorem, vti fuêre Zacharias, Simeon, Ioannes Baptiſta. Verum Baptiſtæ obſtat, quod eius caput Romæ, & Ambiani, digitus Florentiæ, reliqui corporis cineres Genuæ oſtendantur. Theophilus Raynaudus opinatur tunc reſurrexiſſe bonum latronem *l. de eo c.* 13. vnde & nullæ reliquiæ eius de eo reperiuntur. Præter jam dictos plures alij, præſertim ij, quos celebrat Apoſtolus *Heb.* 11. etiam extra Iudæam mortui &

sepulti resurrexerunt: Nam Matthæus ait: *Multa corpora Sanctorum qui dormierant resurrexerunt.* Hoc enim decebat liberalitatem & magnificentiam CHRISTI, vt suam resurrectionem & ascensionem in cælum, magnâ Sanctorum simul resurgentium copiâ & pompâ adornaret.

Quibus apparuerint? V. Isti resurgentes *apparuerunt multis*, puta Apostolis, & Discipulis CHRISTI, alijsq; Iudæis, necdum ad CHRISTVM conuersis, vt eis fidem & resurrectionem CHRISTI persuaderent, quasi eius testes & præcones, *vt ex eorum resurrectione*, ait Euthymius, *alij certiores redderentur, & de resurrectione illius* (*CHRISTI*) *cogitarent, quod qui hos resuscitauit, multò magis se ipsum resuscitauit.*

CAPVT VI.

CHRISTO moriente petræ scissæ sunt.

I.

Petræ scissæ Hierosolymis. CHRISTO Domino pro nostra jam ipsorum salute exstincto, naturæ totius sensus ac motus panegyricum constanter exsoluit, cum enim antè nox tetra medium diem interrupisset, continuò turbari spectaculo impatiens natura, discisso templi velo, turbari intima, fremere tremereq; immobilis tellus, diffringi animata dolore saxa, cuius rei hodieq; præclarum in rupe Caluarij montis extat argumentum quod S. Lucianus Antiochenus presbyter religionis suæ coram Præside, rationem reddens, inter alia fidei suæ testimonia, etiam attulit, dum hanc rupis Golgothanæ scissuram citauit, vtpote, quæ omnium oculis pateret.

Qualis, quantáue rupis Golgothanæ fuerit scissura.

II. *Rem plenius narrat Adricomius: cuius rei etiam hoc præclarum in petroso Caluariæ monte adhuc extat argumentum: ibi enim conspici etiamnum potest illa, quæ sub manu CHRISTI læuâ & à sinistrâ pendentis latronis in cruce, in morte Domini facta est scissura: in quâ dominici sanguinis colorem adhuc depræhendere licet.* Et post pauca. *Cuius quidem scissuræ ea est latitudo, quod humani corporis crassitiem facile capere possit. Profunditas verò tanta, quod ab huius rei curiosis demissâ polide, nequaquam potuerit inuestigari, vt veri simile sit, in infernum vsq; patere, quemadmodum latroni dextero via per CHRISTI mortem in cælum reserata est: ita per petræ huius scissuram latroni sinistro (vt olim rebelli Core) viam in infernum apertam*

apertam esse. Ex quo patet, quam verum sit, quod de ipsis ait Hieronymus : CHRISTVS, inquiens, *vnum relinquit sinistrum, alterum assumit dexterum, sicut in die judicij faciet: ex simili crimine dissimiles sortiuntur fines: alter antecedat Petrum in Paradisum, alter Iudam in infernum. Confessio breuis, vitam acquisiuit longam, & blasphemia finita, pœnâ plectitur æternâ.*

III. Verùm non Ierosolymis solùm, sed & alibi terrarum Petræ scissæ sunt eodem terræ motu, vti incolæ firmâ traditione testantur, vt de monte Aluerniæ in Hetruriâ, de promontorio propè littus Campanum Caietæ, de Tarraconensi Hispaniæ monte, quem serratum dicunt, inde horrenda illa horum montium, & petrarum præcipitia. Nam scissas tunc esse petras montis Aluerniæ, reuelauit angelus S. Francisco ibidem oranti. Vnde mira fuit S. Francisci erga hunc montem deuotio, adeoq; in eodem quinq; sacra CHRISTI Crucifixi stigmata accepit. Sensit ergo CHRISTI mortem lapidum scissura, vt eam quæ inter CHRISTI animam & corpus adeò crudeliter & inhumanè facta est scissio, repræsentaret. Neq; aliquando ad has montis scissiones respiciebat S. Franciscus, quin statim veniret in mentem CHRISTI passio, seq; scindi, vulnerari & cruciari optaret, vt particeps fieret dolorum Crucifixi, quos sibi obijci videbat in lapide inanimato. Quare meritò exclamat S. Ambrosius *l. 10. in Lucam*: *O duriora saxis pectora Iudæorum, scinduntur petræ, sed horum corda durantur, horum immobilis duritia manet orbe concusso.*

Scissæ petræ in Hetruria monte, littore Caietano, Tarraconensi monte, &c.

CAPVT VII.

Moriente CHRISTO terra mota.

I.

QVantum scire licet, vniuersum orbem hic terræ motus concussit, fuit ergò vniuersalis, maximus, & vehementissimus, ita vt totus terræ globus è centro suo conuulsus contremuerit, & concussus sit, sicut ecclipsis solis fuit pariter vniuersalis per totum orbem, vt in alios docet Paulus Orosius & Dydymus in c. 9. Iob. ait, hoc terræ motu terram è centro suo fuisse conquassatam, idq; prophetatum fuisse à Iob cum ait *c. 9. 6. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* Vnde & Phlegon

Terræ motus fuit vniuersalis.

l. 7. c. 4.

libertus Adriani Imp. quem citat Origenes, & Eusebius *in Chron.* scribit, hoc terræ motu extra Iudæam multas domos Niceæ in Bithyniâ fuisse euersas: quin & Plinius *lib. 2. cap.* 84. testatur, sub Tyberio (sub quo passus est CHRISTVS) ingenti terræ motu dirutas esse duodecim Ciuitates in Asiâ. Idem asserit Suetonius.

Caussa diui. II. Causa huius terræ motus litteralis fuit, vt per eum significaretur diuinitas CHRISTI, qui est Dominus Cæli & Terræ, hic enim terram concutiebat, vnde passim concussio terræ tribuitur Deo, & index est diuinitatis, juxta illud Dei ad Eliam: *Et ecce Dominus transit & Spiritus grandis & fortis subuertens montes & conterens petras ante Dominum.* Sic olim mons Sina, cum in eo

Exod. 19. Deus daret legem Mosi, & Hebræis, *totus contremuit.* Similia sunt *Psal.* 17. 8. & *Nahum* 3. 6. & alibi. In Passione ergo CHRISTI im-

Agg. 2. 7. pletum est illud: *Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo Cælum & Terram.*

III. *Cum ad tantam,* inquit S. Leo, *diuinæ Maiestatis inclinationem totius mundi compago quateretur, cum facinus impium omnis sui confusione creatura damnaret, & manifestam in reos sententiam ipsa elementa proferrent, quis vobis animus Iudæi, quæ conscientia fuit, quando & vos judicium vniuersitatis vrgebat. & reuocari ad se, consummato scelere impietas vestra non poterat.*

Tanto scelere quid meruissent homines. IV. Patrato tanto scelere tam abominando, meruissent homines vel terra dehiscente absorberi, vel ædificiorum ruinis sepeliri. Auctores sceleris non tantum hanc cædem patrarunt, verum etiam sine pœnitentiâ. Post mortem etiamnum inuidiâ CHRISTVM exagitarunt. Horrendus vrbis stupor, prodigiosa obstinatio perditæ gentis. Nam præter vulgus, nulli Iudæorum tam inusitatis, inauditis miraculis moti, concussâ & tremente mundi machinâ suum facinus nondum damnant. Cæcitas crassissima, horribilis amentia, exoculata, surda inuidia. Sed hodieq; hi mores in vsu sunt. Historia CHRISTI patientis & auribus & oculis ingeritur, prælegitur, exponitur, præcinitur, pingitur, tot cæremonijs repræsentatur: audimus hæc, & aliquantum ad ea ingemiscimus, nihilominus nec suam iste auaritiam, nec ille suam superbiam emendat, nihilominus hic crapulam, hic libidines suas, hic inuidiam perpetuat. Cælum rueret, nequitias tamen horum talium non corrigeret: breue metrum jure queritur.

Terra

Terra tremit, manes reuomit, flent marmora & aræ,
Sol pallet, lachrymant sidera, ridet homo.

CAPVT VIII.

De SS. vulnere Lateris CHRISTI.

I.

AVctore vitæ exstincto, viuebat adhuc, vigebatq; in immanissimorum hominum pectore auiditas lancinandi, discerpendiq; eum, quem paulò ante tantâ rabie in Crucem agi postulârant, tum vt illo quàm citissimè ex oculis sublato, suæ tormentum conscientiæ euadere, tum populus ab eius commiseratione posset arceri.

Sed bene prouidit sacro DEVS aquus amori.

II. Cedentibus itaq; consuetudine suâ Romanis, qui teste Iusto Lipsio, cruri fragium distinctum supplicij genus habebant à Cruce, CHRISTVM vnà cum latronibus socijs tibiarum suffractionis condemnant. At vetuit, qui nullum os agno Paschali confringendum mandauerat. Præter omnium namq; opinionem, citiùs excesserat CHRISTVS, qua re aliorum diffractis cruribus, ab illo manus inhibuêre carnifices, superuacaneo labori, vt assolet, parcentes; ne verò Iudæis hoc pacto dedisse nihil viderentur, vnus aliquis, nouâ in eorum gratiam contumeliâ, vt Euthymius philosophatur, *lanceâ latus eius aperuit.*

III. Confoditur autem exanimato cadaueri latus; vt posthumum Saluatoris vulnus, prodigium daret omnium maximè salutare: aqua enim confestim effluxit, quæ non terrarum eluuionem comminaretur, vt merita erat impietas, sed communium expiationem scelerum factam jam esse significaret, atq; ita mundi redintegratio, cuius molitio ab aquis cæperat, aquis perficeretur: sanguis autem adjunctus est, qui melius post mortem loqueretur quam Abel; cùm enim is nihil sibi reliquum facere statuisset, quod pro mortalibus non expenderet, & sanguinis aliquid circa cor superesset mutum adhuc, quia os vulneris non habebat, aperto latere totam copiam illam largiter profudit, & quoniam non potuerat viuum, Cor mortuum dimanantibus vndiq; diuinarum fluentis gratiarum, optimè perorauit; clauserat quidem

Lanceâ Christi latus à milite confoditur.

quidem oculos, quibus hominum corda ſponſus ſanguinum vulnerabat, ſed nondum oculos obduxerat corporis lacerati, quibus ipſe vulnerabatur. Imo & aperuit oculum cordis, aquâ palàm & ſanguine lachrymantem, vt verè jam teſtis exiſteret oculatus, & ſceleris noſtri, & ſuæ erga nos charitatis, quo lumine inſtaurator hominum DEVS, vidit cuncta quæ refecerat meliora jam eſſe,
l. 1. 2. de op. ſtir. c. 5. quam fecerat. Vnde, *quæ de latere IESV fluxit aqua*, clamat noſter Rupertus, *lauit nos, ſed de ſocio ſanguine, aqua hanc virtutem obtinuit, vt poſſit lauare nos, nam ſine ſanguine aqua prodeſſe non poterat.*

IV. Ergò aperto latere Saluatoreis poſt mortem eius, continuò *exiuit ſanguis & aqua, & qui vidit teſtimonium perhibuit, &*
Ioan. 19. v. 34. *verum eſt teſtimonium eius.* Quamobrem latices iſti? Nempe introitus in Paradiſum flameo prohibebatur gladio; terribilis igitur
Lib. 1. in Gen. c. 32. machæræ vt incendium extingueretur, & pateret deinceps aditus redemptis, humor profluxit ignes ſopiturus. *Porrò ante eandem Domini noſtri paſſionem*, inquit Rupertus noſter, *nulli omninò filiorum Adæ peruius fuit, donec fuſus de corpore eius ſanguis cum aquâ ignem illum exuperauit; ſecutus eſt confeſtim latro ille venerabilis, quem confeſſum in Cruce continuò munerat fides ſanguinis CHRISTI contra illum ignem, ne obſiſteret illi; conſequimur & nos omnes fundamentum quod eſt CHRISTVS, habentes, &c.* Verùm, quamobrem ſanguis pariter, & aqua? an non ſufficeret vel ſolus cruor, vel ſolæ vndæ? & quàm nouum remedium eſt, quam difficile ſanguinum riuis vinci ignes? Ecce Chriſtus ipſe IESVS per ſanguinem introiuit in Paradiſum, nam oportebat eum mori, & ita Regnum adipiſci; per vulnera igitur & necem ingredi famulos decebat Heri ſequutos exemplum; inde purpurata agmina fortiſſimorum Martyrum; inde qui crucifixerunt carnem cum concupiſcentijs ſuis lucidi in eremo Confeſſores, ac durum hoc verbum tantæ perfectionis delicatis animabus, non lacerari à Tyrannis, non ſæculo valedicere audent. Quo igitur hi penitus non contriſtentur, aqnam habent, quò flammas ſuperent, & in Olympum volitent mitiori ingreſſu, ſanguis ergò propter robuſtos, aqua propter infirmos, vt omnes cæleſtia occupent loca, omnes conſolentur. Igitur victoriam de culpâ pariter & Diabolo ſanguis & aqua operantur; at ſanguis ad excitandos ſtrenuos, aqua ne vacillent, & deſperent imperfecti.

V. Fecit

V. Fecit hoc miles ille, subdubitans an mortuus esset CHRISTVS, ait Cyrillus, vt scilicet sciret, an reuera obijsset, &, si non obijsset hoc vulnere mortem illi acceleraret, & re ipsâ inferret. Militum enim horum vtpotè custodum Officium erat, efficere vt sententia Iudicis Pilati compleretur, nec damnati dimitterentur, donec constaret, eos mortem luisse. Addit Chrysostomus *ad conciliandam Iudæorum gratiam latus eius aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem ac sceleratissimam?* Militem hunc putant nonnulli fuisse Centurionem nomine Longinum, qui visis miraculis CHRISTI expirantis, exclamauit: *Verè filius DEI erat iste.* Idcircò autem eum perforasse latus CHRISTI, vt ostenderet, eum jam esse mortuum: Nam sui muneris erat curare, ne CHRISTVS viuus de Cruce deponeretur, alioqui capitis periculum aditurus. Verùm quis credat hoc eum ausurum fuisse in eum, quem jam DEI filium proclamarat? Nazianzenus in carmine de CHRISTO patiente, insinuat eum fuisse cæcum, & hic à CHRISTO fuisse illuminatum. Alij alia narrant, quæ hic congerit Barradius, sed incerta & apocrypha, ait Baronius.

Cur miles hoc fecerit?

Longinus fuisse creditur.

VI. Siluêre quidem de milite illo Euangelistæ; posteri verò acceptâ à maioribus traditione, Longinum quendam nomine fuisse voluerunt. Ita S. Augustinus c. 23. Manualis. Romanum insuper Martyrologium vocat ad 15. Martij sic loquens: *Cæsareæ in Cappadociâ passio S. Longini militis, qui latus Domini lanceâ perforasse perhibetur.* Dubitatum an miles hic fuerit ille centurio, de quo tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas scribunt, visis miraculis, mortuo Domino editis, in præclaram illam confessionem erupisse; *Verè hic homo justus erat, verè filius Dei erat iste.* Metaphrastes centurionem appellat, cuius festum Græci 16. Octob. celebrant. Baronius quoq; ea, quæ Metaphrastes de Longino centurione commemorat, Longino, qui latus Domini aperuit, adscribit: Nec id cuiquam mirum videri debeat, cùm enim sui muneris esse non ignoraret, attendere, ne reus de Cruce, priusquam exspirasset, deponeretur, lanceâ id voluit explorare. Addunt alij, altero hunc oculo captum, sanguinis Dominici attactu, quem fuderat, eius vsum recuperasse, vti etiam nos supra ex Nazianzeno diximus. Et noster S. Isidorus Hispalensis, dum, inquit, *Longinus latus Saluatoris aperuit, & tactu sanguinis CHRISTI dum esset altero oculo priuatus, illuminatus est extra &*

Matth. 27. 54.

intus lumine fidei, & per Apostolos Baptizatus fuit, & post longum tempus in eremo transactum, episcopatus honorem & martyrij coronam inuenit. Ita isti quamuis card. Baronius eos erroris & vanitatis insimulet qui oculis captum scribunt.

Dextrumne an sinistrum latus apertum.

VII. Quæsierunt insuper nonnulli, dextrumne an verò sinistrum latus confoderit, & multi quidem sinistrum voluerunt; quia ibi sedes & domicilium cordis, adeò vt sicut ex latere Adami dormientis Eua formata prodijt, ita ex latere CHRISTI exanimis in Cruce Ecclesia, volunt autem pleriq; non improbabiliter, Euam ex sinistro Adami latere procreatam, quare vt figuratum figuræ respondeat, oportere ex sinistro latere aperto Ecclesiam profectam esse.

VIII. Accedit Franciscus Lucas Audomarensis Ecclesiæ Decanus, qui *comment. in Ioann.* latus, non pectus, inquit, vt quidam pingunt, idq; sinistrum (quamquam pictores dexterum notent) penetratis etiam costis primùm, & pulmone deinde, ac tandem pericardio, transfodit. Cor, quod pericardio proximè, & pulmone consequenter obuelatum est, tametsi in medio corporis, tamen ad sinistram situm est magis, quàm ad dexteram, prout etiam ictus cum fiat dexterâ manu propensè petit partem sinistram.

IX. Alij tamen dexterum præferunt verò similius, vt sunt S. Greg. Nazianz. *in Trag.* S. Bernardus *ser. 30 in Cant.* *Dexterum*, inquiens, *mihi latus effodi permisit, vt à sinistrâ in dexterum transeamus.* Quod & S. Birgitta calculo suo confirmauit his verbis: *Birg. l. 7. cap. 15.* *Sic stantibus turbis in circuitu, venit vnus accurrens cum furiâ maximâ, & infixit Lanceam in eius latere dextero.* Fauet S. Athanasius, *lib. de Pass. Imaginis Christi.* vbi dicit Hebræos Patrum suorum vestigia secutos, calido ictu lanceæ latus dexterum Iconis percussisse.

X. Adstipulatur eidem sententiæ, quam & omni scrupulo & dubitatione absoluere videtur sacra Sindon Taurinensis, siue linteum illud, *sanctum sudarium* dictum, quo CHRISTI Saluatoris sacratissimum corpus inuolutum, ac sepulturæ traditum fuit. Huic sanguineis notis ac lineamentis diuini illius corporis imago impressa mansit, eâdem prorsus formâ, ac figurâ, quâ præditum erat, cum de Cruce deponeretur; vndè euidenter clareq; in eo perspicitur dexterum CHRISTI Domini latus, non autem sinistrum, lanceâ perfossum fuisse. Siquidem imago eidem linteo

impressa

impressa illius vulneris cicatricem in sinistro latere exhibet, typorum effectum prorsus imitata, qui quod in dextero habent, imprimunt in sinistro.

XI. Ergò de latere CHRISTI vulnerato exiuit sanguis & aqua, sanè de latere dextero; Cur non de sinistro? nempè stillicidijs illis Sacramenta nouæ legis designabantur, imprimis verò Baptismus atq; Eucharistia: quibus rigata Ecclesiæ arua millesimum comportarent fructum,; hæc igitur Sacramentorum doctrina, quo vescantur pabulo animalia sancta fidelis orthodoxorum cætus matrem habere dextram, non sinistram costam debuit; Nam quidem læuâ parte quod carnale, humanum & infirmum est, denotatur, à sinistris maledictorum portio sceleribus funestis & atrocibus inquinata collocatur; dexterâ potens diuinitatis virtus, quod excelsum, & spiritale est denotatur; sors dextera prædestinatorum in regnum sempiternum est: Quomodo ergò quod carnale & maledictum esset tam sanctam disciplinam peperisset? Auctor eius IESVS, prædicatores Apostoli, & quicunq; ad eorum normam vitam suam composuerunt: destructores, qui Missam abrogarunt, qui altaria despoliauerunt, qui sacrum Domini corpus conculcauerunt, qui baptismum infantibus concedendum esse negarunt, cum cæteris hæreticorum asseclis & fæcibus. Hi igitur omnes ad sinistram spectantes, quos flammæ comburent sempiternæ cum Diabolo, & Angelis eius Sacramentorum inimici facti sunt; in dextro latere patronos habent, ibi exorta sunt, ibi permanebunt. Noster Godfridus Vindocinensis Abbas & Cardinalis: *De latere CHRISTI dextero sanguis, & aqua potiùs exisse dicitur, non de sinistro; nam quod per sinistram eius manum, hoc ipsum per latus eius sinistrum accipimus, humanæ videlicet carnis susceptionem; per dextrum verò latus eius, quod per illius dexteram intelligimus, diuinam scilicet maiestatem, quam quia aliter exprimere nemo potuit, huiusmodi, id est dexteræ nomen accepit, ab illâ ergo & incarnatio CHRISTI, & ille sanguis & aqua & vniuersa eiusdem incarnationis Sacramenta processerunt, à quâ omne bonum procedit; hac etiam ratione justi ponendi sunt in dextris in die judicij, quoniam in CHRISTO intellexerunt eius diuinam majestatem, & eius cum dilectione crediderunt incarnationem, Iniusti autem in sinistris erunt, quia nec gustauerunt diuinæ maiestatis dulcedinem, quæ in CHRISTO est, nec eius venerati sunt incarnationem,*

Quid per latus dextrum & sinistrum significetur.

Serm. 5. de Resurrect. Domini.

nem sed semper sapuerunt propriam carnem, & in eo sinistra, id est injusta opera dilexerunt, pro quibus perpetuum odium sui creatoris habebunt.

Quantum vulnus lateris Christi.

XII. Nunc verò ad vulneris huius quantitatem, situm, & atrocitatem quod attinct, grande illud fuisse necesse est, quod hominis manum capere potuisse CHRISTI testimonio confirmatur: vnde Landspergius *hom.* 44. de Pass. tantum hoc vulnus fuisse docet, vt Thomas manum potuerit in illud inferre, dicente Domino: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Sane sacrosancta Sindon latissimum fuisse illud indicat, longitudinis scilicet vnciæ & dodrantis, vt oculati testes id dimensi sunt. Vlterius pergunt non pauci, qui lanceam hanc in dexterum latus CHRISTI, adactam, transisse per cor, & pericardium atq; cuspidem eius per latus sinistrum ad pupillam tradunt exiuisse, atq; ita vtrumq; latus transfossum scribit Prudentius.

Prud. de Pass. Dom. 2. Peri. steph. hum. 8. 3. Catemol. hym. 9

Inuentio sacræ lanceæ

XIII. O qualem nobis Philosophiam, dum CHRISTI latus aperuit, beata hæc lancea reserauit! digna planè, quæ omnis rubiginis expers, meliora inter triumphantis Ecclesiæ cymelia reponatur, in quo prouida illa diuinæ bonitatis sapientia, magnoperè nobis laudanda est, quæ ferre huius pœnalis aciem hostium furori ereptam, Christianæ pietati reseruauit, neq; enim Lancea hæc cum reliquo CHRISTI patientis instrumento terræ tradita fuit, cùm nequaquam mortis eius fuerit administra, quare vel ab amicis CHRISTI redempta, vel à milite jam conuerso in pretio habita, ac Ierosolymis custodita fuit, vbi teste nostro V. S. Bedâ in porticu Martyrij (templum erat ab Helenâ ibi constructum) Crucis ligneæ inserta hastili in duas partes interciso, diutissimè perseuerauit, vnde incertum quando, Antiochiam auecta, atq; in templo S. Apostoli Andreæ reposita, aliquamdiu incognita latuit, donec eodem S. Apostolo locum Presbytero certis indicijs designante Inuenta, vrbem à Barbarorum exercitu magno miraculo liberauit.

XIV. Delata exinde Constantinopolim fuit, atq; in manus Imperatoris consignata, qui ferri illius aciem limâ sectam Francorum Regi dono misit, vt *Gulielmus Caorsinus* Auctor est. Residuum verò eiusdem ferri in Ecclesiâ S. Ioannis de petrâ, in eadem ciuitate jussit asseruari; Donec ea in Machometis secundi Turcarum Imperatoris potestatem deuenit, anno partæ salutis 1453. qui

qui sacram lanceam vna cum reliquis sanctorum lipsanis, quibus Constantinopolis suprà modum ditata fuerat, gazophilacio suo intulit, vbi ex fide asseruata fuit, donec, illo vitâ functo Baiazetes filius in regnum successit, qui Petri de Anbusson magni Ierosolymitanæ militiæ Magistri operâ ac consilio inductus, sacratissimum lanceæ ferrum Innocentio Papæ octauo A. C. 1492. dono transmisit, per oratorem suum denuncians cuspidem apud Regem Franciæ conseruari, vt Alphonsus Ciacconius in vitâ eiusdem Innocentij testatum reliquit. Papa verò recepto sacro pignore, illud de fratrum suorum Cardinalium consilio, in Ecclesiâ S. Petri maximâ veneratione collocauit, ac festo peculari feriâ scilicet sextâ post octauas Paschæ, rogatu Caroli IV. & Sigismundi Romanorum Impp. per Germaniam, vicinasq; Prouincias celebrari permisit: in quo præ cæteris excellere visa Coloniensis ciuitas, quæ celeberrima amburbali Theophoriâ hoc festum quotannis celebrare consueuit, cùm ad sacratissimi vulneris lateralis gloriam: utm verò ad operatricis lanceæ honorem sanctissimè institutam. Quid ni ergò ad salutiffera CHRISTI vulnera omnes confugimus? *Intueamini*, clamat B. Laurentius Iustinianus de casto connub. *diligentissimè lateri, manuum, pedumq; fixuras, apertæ sunt, intrare ne timeatis, intùs est latitudo immensa, deliciæ inæstimabiles, odoramenta, per quæ omnes interiores animæ sensus reparantur. Et pacatissima quies. Experimini, videte, gustate, quam suaue est, quam jucundum, quàm tutum commorari in latere Saluatoris? Cùm infesti sunt aduersarij, cùm illis impares senseritis vestras vires, cùm titubare, cùm formidare, & ipsorum suggestionibus inclinari cœperitis, sine morâ ad præsidia currite, versi ad petræ foramina, ad vulnera Redemptoris. Non autem corporis gressibus, sed animæ affectibus, sed sedula meditatione, sed intentione rectâ, sed corde pio in eadem ingrediendum est, si attentâ mente & humili deuotione cogitaueritis, quanta in carne dum viueret Saluator, sustinuit fatigationes, peregrinationes, persecutiones, sputa, flagella, &c. in pedum foramina intrastis. Si donatas sanitates, mortuorum suscitationes, documenta cælestia, &c. in manuum vulnera ingressi estis. Si charitatem ipsius ignotam, latitudinem dilectionis, thesauros diuinitatis, affluentiam donorum sponsi, &c. Lætamini quia lateris arcana penetrastis. Munitissima sunt præsidia, hæc inimicis inaccessibilia.*

Festum S. Lanceæ.

Elogium Bonplani.

Auri argentiq; venas qui cupis,
Hic siste.
Non aliunde magis ditabere
Quàm è CHRISTI latere,
Latus CHRISTI amoris fodina est.
Sanguinem dat pro auro,
Pro argento aquam.
Huius auro sanguinis emitur salus;
Huius aqua pretio
Constat Innocentia:
Ergò hauri libentiùs
Quo amantius offertur.
Quid Lancea? amoris clauis.
Amor aperit, cùm ferit,

CAPVT IX.

IESVS à Cruce depositus sinu MARIÆ Matris excipitur.

I.

Christi ad Inferos descensus.

CHRISTVS mox vt exspirauit, quoad animam descendit in limbum patrum, illisq; se, suamq; Deitatem ostendit; itaq; eos beauit. Animas quoq; in Purgatorio detentas liberauit, eisq; primum vniuersale Iubilæum dedit. Vnde eis pariter suam Deitatem ostendit, easq; beatas effecit, dæmones verò & homines impios in inferno, rursùm ad gehennam perpetuam damnauit, tanquam eorum Dominus, Iudex, Victor, & Triumphator. Mansit autem anima CHRISTI in limbo, vsq; ad tertiam diem, quo è limbo cum Patribus alijs Sanctis egrediens, corpus suum quod triduo jacuerat in sepuchro, resumens, gloriosè resurrexit, ac Patres deinde corpora sua resumere, secumq; resurgere effecit.

Arimathææ descriptio.

II. Intereà Ioseph ab Arimathæâ vrbe, quæ vocabatur Ramathaim Sophim, vbi habitarunt Elcana & Anna, ibiq; genuerunt Samuelem. Sita est in regione Tamnitticâ juxta Diospolim: posteà

posteà dicta est Rama Aarima & Memphtis. Sita erat in loco alto vnde dicta est Rama, id est excelsa. Oriundus ergò erat Ioseph è Ramâ, sed ciuis & senator erat Ierosolymæ, quod conijcitur ex eo, quod ibi habitabat; ibi enim exciderat sibi sepulchrum. Rursùm colligit Maldonatus, eum interfuisse concilio Iudæorum, de capiendo & crucifigendo CHRISTO. Matth. 26. sed non voluisse alijs subscribere & assentiri.

III. Hunc Iosephum Marcus vocat nobilem Decurionem, vbi Græcè est Βουλευτὴς, id est, consiliarius, senator: qui enim Romæ dicebatur senator, in municipijs dicebatur Decurio; Et quia erat homo *diues*, vt ait Matthæus (quia pauper non fuisset ausus ad Pilatum Præsidem Romanum accedere, & Crucifixi corpus impetrare, ait S. Hieronymus) *accessit audacter*, ait Marcus ad Pilatum, & petijt corpus IESV. Licet enim ipse occultus esset Discipulus IESV ob metum Iudæorum, tamen animante eum CHRISTO, ac hortante B. Virgine, vti habet Baronius ex Metaphraste, opus tamen arduum, sine formidine audacter agressus est. Causam constantiæ dat Lucas, & Marcus dicendo: *qui & ipse erat exspectans regnum DEI*, q. d. credebat in CHRISTVM, & per eius gratiam sperabat salutem & gratiam cælestem, ideoq; hac spe exposuit se periculo, pro CHRISTO, eiusq; corpus petijt. Iosephus hic quis & qualis.

IV. Noster S. Anselmus *dial. de Pass.* ait, sibi à Deiparâ reuelatum, quòd cùm Ioseph ab Arimathiâ peteret à Pilato corpus IESV, hanc in cæteris rationem assignasset; quia Mater eius sancta & innocens, casus grauis & repentinus, Crucifixus autem erat vnicus ei filius, rationi autem non est consentaneum, vt simul cum filio Mater innocens moriatur, erit autem ei aliqua consolatio, eum sepelire. Concede ergò matri afflictissimæ, vt eum sepeliat. Insuper verisimile est, Ioseph Pilato allegasse innocentiam & sanctitatem IESV, sat Pilato cognitam, ideoq; non videre cum cæteris sontibus eius corpus in vallem cadauerum, quæ erat juxta Golgotha, abijciendum, sed honestâ sepulturâ dignum. Daret ergò illud sibi, & funus eius digne curaturum. *Dial. de Pass.*

Auditis & probatis rationibus Iosephi jam recensitis, Pilatus jussit *corpus reddi*; seu, vt Marcus ait, *donauit corpus Ioseph.*

V. Ioseph & Nicodemus profundâ cum reuerentiâ & deuotione, simul & compassione, accedentibus lachrymis Redemptoris caput de Cruce deposuerunt: pedibus sacris, benedictisque

manibus,

manibus clauos eduxêre, & oscula mille è tenero cordis affectu eidem impresſêre, ſpineam coronam ſummo honore & reſpectu abſtulêre, & quam corporis partem è Cruce ſoluebant, in humeros ſuos eam recipiebant, ne ad terram collabaſceret. Sacrum corpus Cruce jam depoſitum, eius collectum & exceptum fuit gremio, in quâ conceptum, geſtatum, in lucem editum, nutritum, educatum fuerat, quæ illi ſeruierat, & toto vitæ tempore fuerat ſecuta. Humiliter & ſuppliciter oſculata eſt id ipſa, tenerè amplexa, arctè vlnis ſuis conſtrinxit. De hoc ipſa apud S. Birgittam *lib.* 41. *cap.* 70. dicitur locuta: *Alijs*, inquiens, *recedentibus, ego recedere non potui, ſed quaſi conſolata eram, quod corpus jam de Cruce depoſitum, contingere poteram, & in ſinum recipere, vulnera explorare, & extergere ſanguinem.* Iterum l. 1. c. 10. *Cùm verò conſiderata loca clauorum in manibus & pedibus. oculi mei replebantur lachrymis, & cor meum quaſi ſcindebatur triſtitiá.* Eodem accedit S. Germanus in Theoriâ, vbi de hoc Virginis affectu, dum filium è Cruce depoſitum ſinu exciperet, ſcribit his verbis: *Maria Virgo CHRISTI è Cruce depoſiti oſculabatur manus clauis perforatas, oſculabatur brachia & pectus lanceâ perforatum, oſculabatur pedes clauis perfoſſos: lauit & rigauit lachrymis vniuerſa vulnere eius, & plorans acerrimè ſuper ſingulis amplexabatur caput eius, &c.*

Ioſeph & Nicodemus deponuut Corpus Ieſu de Cruce.

Deipara ſuſcipit illud ſinu ſuo.

VI. Oſtenditur etiamnum locus, vbi Mater CHRISTVM, de Cruce à Nicodemo, Ioſephoq; depoſitum fouit, plagasq; ritè venerata ſtudioſè compoſuit, diſtatq; ab eo in quo poſita fuerat loco greſſibus tredecim, vt Chriſtianus Adrichomius auctor eſt. Quis autem pro dignitate expediat, quantâ hîc fide, ac religione Virgo Mater ſe geſſerit, tam inſignis pietatis fundamenta ſtatuens? quibus tota ſuperſtructura poſteritas ſuam erat religionem quantâ prudentiâ, quam incenſo diuinæ venerationis ſtudio, jam manuum, jam pedum, jam lateris plagas intuita, eum, quem grandibus illis, claui ac lancea, notis inſcripſerant amorem, pellegerit nunc dolorem longè acerrimum, quem carnis neruorumq; inciſio progenuerat, ſecum meditata ſit, ac tantum, non ipſa perſenſerit, nunc vero tota in maximam grati animi ſignificationdm effuſa, ſingulares Deo gratias tanto pro beneficio cumulâri, nunc ſeſe ijſdem velut foraminibus quibuſdam petræ, ac cauernis maceriæ latenter abdere ibidemque inſtar columbæ perpetuò voluerit nidificare.

Locus vbi Deipara excepit Chriſtum de cruce depoſitum.

Ita vixit:

Ita vixit:
Ita mortuus est
Vitæ Conditor,
Mortis destructor.
IESVS CHRISTVS,
Exemplar hominis Exemplum DEI.
Respondit vitæ Mors:
Neq; enim
Aliter occidit quàm lucet Sol.
Quot viuus duxit momenta.
Tot struxit monumenta Virtutum:
Quot signa moriens dedit,
Tot documenta Mortis absoluit,
Ne imitari pigeat Homo,
Quod facere non puduit DEVM

CAPVT X.

Ethopeia B. Virginis CHRISTVM Cruce depositum sinu excipientis. Item S. Gertrudis exercitium ad SS. vulnera CHRISTI.

I.

VIx dum exangue corpus sinu suo mæstissima mater exceperat, cùm vocem quam aliquantisper suppresserat, fractis velut repagulis sinens eluctari. Ecce, inquiebat, ecce, dilectum tuum, O Anima mea! ecce dilectum vteri tui, ecce dilectum votorum tuorum: sed quis eum sic deformauit? quis tantis injurijs lacessiuit tam acerbè, contra quàm meritus est, tractauit? video. ah video? peccata hominum sunt, quæ spectaculum hoc longè tristissimum edidêre, quæ his te plagis immerentem, fili mi confecerunt. Admirabiles manus cæli, terræq; architectæ, & vos tam impiè transfixæ? generosi pedes, ouem centesimam, quæ perierat, quærendo fatigari, vos peruideo rudi ferro tenebratos? Quam lata vulnera! quam tristes plagæ!

II. Sed & pectus sauciatum conspicor? sanctissimum illud sacrarium dissipauit lancea, quo pretium redemptionis humanæ flueret vberius, sed & matrem torqueret abundantiùs: sine, ah sine, te plenè exosculer, super te caput reclinem, nusquam tutiùs ac satius quieturum. Dulcia sanè, & salutifera vulnera, dilectissimi filij mei IESV saluete, saluete, saluete in omnipotentiâ Patris, qui vos dedit; in sapientiâ filij, qui in vobis mortem sustinuit, in benignitate Spiritus sancti, qui in vobis humanæ redemptionis opus perfecit.

III. Saluete monumenta charitatis, testimonia obedientiæ, signa jussionis paternæ, surget, surget ex vobis fortitudo Martyrum, Confessorum patientia, gaudium Apostolorum, gloria vniuersi.

S. Gertrudis precatio ad V. vulnera.

IV. S. Gertrudis Islebiensis, Benedictinæ nostræ lampadis clarissimum lumen, inuenerat in peruetusto libro eiuscemodi precatiunculam: Domine IESV CHRISTE fili Dei viui, da mihi toto corde, pleno desiderio, sitienti animâ ad te aspirare, & in dulcissimo ac suauissimo nomine tuo respirare, ac toto spiritu in eo & omnibus interioribus meis, ad te qui es vera beatitudo, anhelare. Scribe misericordissime Domine vulnera tua in corde meo, precioso sanguine tuo, vt in eis legam tuum dolorem pariter & amorem: & vulnerum tuorum memoria jugiter in secreto cordis mei permaneat, & dolor compassionis tuæ in me excitetur, & ardor dilectionis tuæ in me accendatur. Da quoq; vt omnis creatura mihi vilescat, & tu solus in corde meo dulcescas.

V. Hac itaq; oratione, cum plurimùm delectaretur Gertrudis, cœpit eam frequentiùs ruminare, nec raro pijssimis labijs expressam Deo offerre. Contigit autem die quadam dum huiusmodi exercitio animum intenderet, sentire quasi diuinitùs collata sibi dona

ſibi dona hæc, quæ in antedictâ oratione dudùm poſtulârat. Nam intus in corde ſuo quaſi corporalibus locis per ſpiritum cognouit, impreſſa ſibi colenda illa, & adoranda ſanctiſſimorum vulnerum ſtigmata, quibus animæ ſuæ vulneribus ſponſus ante fuerat medicatus.

S. Gertrudis ſtigmata SS. V. vulnerum accepit.

VI. Neq; ſic ſtetiſſe viſa eſt diuinæ profluentia largitatis, quin & illud memorandum ſeculis omnibus, donum conſecuta eſt, vt quoties diuina illa præclaraque amatoriæ impreſſionis ſignacula cumq; quinq; verſibus: *Benedic. anima mea Domino*, viſitare contenderet, nunquam non peculiari ſe beneficio auctam inueniret. Accepit enim ab eo, vt ad primum, *Benedic anima mea* ad vulnera beatorum pedum eius omnem rubiginem peccatorum ſuorum & voluptatis mundanæ vilitatem abſtergeret. Deinde per ſecundum verſum, *Benedic, & noli obliuiſci*, in amatorio lauacro proflueret ſibi ſanguis & aqua, quibus omnem maculam carnalis & tranſitoriæ delectationis ablueret. Per tertium verſum, *Qui propitiatur* cum requie Spiritus ad pauſandum properabat in vulnus lateris, ibidem quaſi columba nidificatura in ſummo ore foraminis. Inde per quartum verſum, *Qui redemit de interitu*, ad dextræ vulnus accedens, quæcunq; illi in perfectione virtutum deerat, hinc liberaliter propoſita, audacter aſſumebat.

VII. Exin decenter ornata, quintum verſum, *Qui replet in bonis* &c. vſurpans, in deſideratiſſimos ſponſi amplexus ruebat. Atq; his alijsq; fatetur collata ſibi fuiſſe, quæ præmiſsâ oratione DEVM rogârat, nimirùm *vt in vulneribus eius dolorem legeret, pariter & amorem*: Vnde factum, vt Dominus non ſolùm præclara illa quinq; vulnerum ſuorum ſtigmata Cordi eius ſenſibiliter impreſſerit, ſed tam amœnam quoq; habitationem ſibi in eâ præpararit, tamq; ſuauiter ſuum cor erga eam appoſuerit, vt niſi homines ſcirent potentiam & bonitatem eiuſdem Domini eſſe interminam, vix credere poſſent, illum tantam amicitiæ familiaritatem præcelentiſſimæ Matri ſuæ demonſtraſſe in terris, quantam Gertrudi demonſtrauit *Bloſ. Conclaui* §. *Tyr. l. 2. c.* 4.

P. Ignatij Bomplani elogium.

Hoc portentum
Suſtinere, Natura, non debes.
Non ſedet in terrâ DEVS, ſed pendet:


Non adoratur, sed damnatur:
Clauo vtitur pro sceptro,
Trabe pro throno,
Felle pro nectare,
Nuditate pro Majestate,
Sanguine pro purpurâ.
Vulnera ostentat vt insignia:
Stipatur doloribus, vt comitatu:
Patibulo gloriatur vt regiâ:
Mortem adit, vt regnum.
Erraui.
Sustinere debes hoc portentum;
Charitatis portentum est.
Magno,
In omnibus; ab omnibus
Pietatis sensu
Venerandum


Lubet hîc quoq; exclamare cum nostro B. Petro Damiano.

Ecquis binas Columbinas
Alas dabit animæ?
Vt in almam Crucis palmam
Euolet citissimè?
In quâ IESVS totus læsus,
Nobis dat refugium?
Benedictus sit inuictus
Amor vincens omnia?
Amor fortis tela mortis
Reputans vt somnia?
O! insignis amor ignis,

Cor

Cor accende frigidum,
Fac me tecum permanere,
Fac me te diligere.
Da conjungi, da defungi
Tecum IESV, & viuere.
Per felices cicatrices
Precor & per sanguinem,
Necem trucem, perq; Crucem
Fac me tuum obsidem.





PARS X.

CAPVT PRIMVM.

Qualiter Iosephus & Nicodemus CHRISTVM sepelierint.

I.



Onsummato vadimonij munere, digressus è vitâ Saluator noster, non modo clientum in se gratiam non respuit vltrò delatam, verùm etiam prior ipse requirere visus est, & repetere è longinquo. Qui enim & decurio nobilis ab Arimathæâ, & alter, ille inter suos honoratus ac facilè Princeps, *Nicodemus* conuenire tempori, numeroq; potuissent ad funus, aut qui tam confidenter ausi essent ab inhumano judice pendentis è Cruce postulare cadauer? nisi fuissent ab eo diuinitùs euocati. Cui cum tantâ sedulitate pollincturam & tumulum adornabant? vel saltem à Virgine Matre, vti etiam nos suprà ex Metaphraste diximus, ad id officij filio deferendum inducti, cui se fideles adeò, præsentesque socios offerebant.

Iosephus & Nicodemus diuinitus instigati vt sepelirent Christum.

II. Suspendiosos lugeri vetabat lex Quiritium, & honore sepulchri, supremoq; officio prohibebat: & tamen ea præsidis indulgentia est, vt qui Romani juris studio in CHRISTI damnatione, ac cæde fuerat immanissimus, in eiusdem funere, contemptâ Romanorum lege, sit pius. Igitur instinctu Numinis vel maternis precibus excitati duo illi viri pecuniosi, atq; summates, obtentâ Præsidis veniâ aromatis, ac totius instrumenti sepulturæ probè muniti, veniunt in Caluarium, parente Virgine mæstissimâ, cæteraq; familiâ à se repentè recreatâ, quibus ad deponendum è Cruce corpus tam multa deerant, quàm lachrymæ supererant vniuersis.

Quomodo Christus de Cruce depositus.

III. Ex horum itaq; accessu procerum, animis jam reuocatis, vnà omnes admouent operi manus, diuellunt è patibulo cadauer. Fecerunt autem id, vel erectâ Cruce, & in sublimi manente appositis scalis, clauos extrahentes, solutumq; corpus, di-

uersorum


G·A·Wolf
gang·fecit

uerſorum manibus ad id ſubſeruientibus excipientes, vt S. Gregorius Nazienzenus *in Trag.* Nonus *in c. 19. Ioan.* Anſelmus *libr. de Paſſ. Dom.* tradidêre, firmatq; hanc ſententiam B. Birgitta *l. 2. c. 21.* vbi B. Virginem MARIAM in hunc modum loquentem introducit: *Hi duo,* Nicodemus & Ioſeph, *qui filium meum deponebant de Cruce, tres applicabant ſcalas, vna protendebatur ad pedes, ſecunda ſubtus aſcillas, & ad brachia, tertia ad medietatem corporis. Atq; in hoc non parum funeris huius honos reſplendebat, cum huc vſq; inauditum fuerit, viros perquam illuſtres, dignitate præcellentes, damnatorum patibulum aſcendere, ad eorum corpora deponenda.* Nicodemus & Ioſeph, maieſtatem pendentis conſiderantes, non dubitarunt hunc honorem corpori CHRISTI deferre, proprijsq; manibus illud de Cruce deponere, & è brachijs Crucis ad brachia Virginis transferre.

IV. Vel vt alij arbitrantur, Cruce è ſcrobe cui infixa ſtabat, elatâ, & humi depoſitâ, ex eâ corpus ſoluerunt; quod & factu facilius fuiſſe aiunt, & in latronibus dum crura eorum frangerentur, obſeruatum videtur, vt enim non facilè poterant crura eorum frangi, niſi jacerent ſupini, ita commodiſſimè poterant, ſi affixi manerent Cruci. Accedit fruſtrà atq; inutiliter laboraturos fuiſſe, ex Cruce erectâ demittendo corpus, cùm & Crux eodem tempore auferenda eſſet, tum ne conſpectu publicè, Sabbati imminentis dignitati officeret, tum quia eiuſmodi inſtrumenta ſupplicij, juxta ſontium cadauera, vel certè non procul inde, terrâ obrui ſolerent.

V. Verùm inter hos non meum eſt tantas componere lites, vt vt fuerit, ſiue de erectâ, ſiue ex demiſsâ Cruce laxatis clauis ſacratiſſimum CHRISTI corpus depoſitum fuerit, hoc certum ex Euangelio, honeſtè admodum atq; ex decore juxta illorum temporum mores habitum fuiſſe.

VI. Ritum autem Iudæis Palæſtinam incolentibus familiarem, quo cadauera curari ſolebant, explicat nobis Rabbi Iacob in *Thuram Iora Deghi c. 53.* Et primum quidem in ritu fuiſſe oculos defuncto occludere, quod Latini condere, ſeu premere appellabant, vnaq; maxillam inferiorem nehiaret, ſtringere tenui faſciâ ad verticem alligatâ. A beatiſſima Virgine matre id muneris CHRISTO præſtitum credimus, ait vir clariſſimus Ioan. Ritus funerum curandorum.

Iacobus Chiffletius Historicæ suæ Criseos cap. 4. quod à matribus olim filijs exhiberi solitum: & porrò docet B. Brigitta, in personâ Virginis sic loquens: *Corpus eius de Cruce depositum contingere potui, & vulnera explorare, & sanguinem extergere, deinde os eius digiti mei clauserunt. & oculos pariter composui, brachia verò rigentia flectere non potui, vt se super pectus componerent, sed super ventrem.*

VII. Secunda erat capillorum incisio, à quâ tamen in damnatis abstinebant Iudæi, vt notat Baronius, quod maledictioni legis obnoxij essent. Ideò vero capite intenso sepultus est CHRISTVS Seruator, quod à perfidis illis sententiam esset passus.

VIII. Tertio loco, fiebat corporis lotio. De hac loquitur S. Lucas cùm Dorcudis, siue Tabithæ mortem describit: *Quam cùm lauissent*, inquiens, *posuerunt eam in cœnaculo.* Nec simile CHRISTO officium defuisse ex Chrysost. & Epiphan. liquet, qui Iosephum & Nicodemum id exanimi Saluatoris corpori præstitisse docent. Cùm autem S. Germanus & Metaphrastes scribunt, B. Virginem lachrymis plagas emundasse, eximium Virginis dolorem significare voluerunt, & lachrymarum copiam, quas in suprà dicti filij corpus effudit, non verò quod ipsum lauerit, vt sepulturæ mandaretur, quamquam & alios juuisse, inficiari nolim. Concretos autem sanguinis grumos ex ablutione corporis mortui CHRISTI collectos, ab aliquo polinctorum seruatos, vel hoc indicium est, quod Baldinum Ierosolymorum Regem, ad suos Flandros è Palæstinâ misisse eos per Abbatem S. Bertini scribunt. Lotionem sequebatur vnctio, seu conditura, quam aliter Ægyptij, aliter Iudæi adhibebant, illi corpore exenterato, & cerebro pernares extracto, intrinsecus condimenta adhibere soliti: Hi verò, Iudæi, inquam, aromata & vnguenta applicabant extrinsecùs. Et hanc quidem vnctionem CHRISTO curauit *Nicodemus, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum*, *Ioan.* 19.

Act. 9.

IX. Quintò, delibutum cadauer, inuoluebant linteis, quæ pars ritus continetur. *Ecc.* 38. *fili in mortuum produc lachrymas, & secundùm judicium contege corpus illius*; id est, juxta morem funebrem obuolue linteis; de his loquitur Euangelista loco citato dicens: *Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.*

Vbi

Vbi *Tò* linteis, innuere videtur, in hac CHRISTI funeratione præter institas, alia adhibita fuisse linteamina, cui animaduersioni S. Augustinus *l. 3. de consensu Euang. c. 23.* fauere videtur, his verbis : *Neq; hic repugnat quicquam rectè intelligentibus nec enim illi (Matthæus Marcus & Lucas) qui de Nicodemo tacuerunt, affirmauerunt à solo Iosepho Dominum sepultum, quamuis solius commemorationem fecerint : aut quia illi vnâ sindone à Ioseph inuolutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuisse adferri à Nicodemo, & superaddi ; vt verum narraret Ioannes, quod non vno linteo, sed linteis inuolutus sit : quamuis & propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas, quibus totum corpus alligatum est, quæ omnia de lino erant, etiamsi vna sindon ibi fuerit, verissimè dici potuit, ligauerunt eum linteis : lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* Adeò vt tutè opinari liceat, corpus Seruatoris sindoni fuisse inuolutum, fascijsq; ligatum, & institis in eum modum, quo paruuli fasciantur infantes, in cunis, hoc tamen discrimine, quod ijs caput relinquatur liberum, & apertum ; hic verò istud sudario à sanctis illis ac nobilibus pollinctoribus tectum fuerit, quando præcipuo quodam modo ac formâ perfectum fuit.

X. Omnibus jam secundùm morem nobilium Iudæorum ritè procuratis, DEO potissimùm agente, vt quæ Iosepho deerant vnguenta, Nicodemus liberaliter adferret, ne aliter IESVS sepeliretur, quàm consueuerant viri primarij, inuoluti scilicet linteis delicatissimis, & aromaribus conditi suauissimis. quamquam non tam eiusmodi corpora condiri solebant, vt diu seruarentur incorrupta, (nam id fieri non poterat, vnâ vnctione myrrhæ & aloës, nisi simul cadauera exentarentur) quam honoris caussâ, vt solennis & magnifica esset sepultura, quo nobilissimos hos pollinctores à calumnia liberes, quâ eos velut hac vnctione naufragium fidei passos nonnulli inspergunt, & tamquam de CHRISTI resurrectione incertos atq; incredulos castigant.

XI. Bona verba sodes ; neq; enim in CHRISTI scholâ tam malè profecerunt, vt IESVM Dei filium esse nescirent, neque eam, quam adhibuisse pollincturam apud Euangelistam legimus, seruando à putredine corpori, sed debito honoris officio impendisse certum est ; quare progreditur, & nos cum eo, sacer historicus : *Erat autem*, inquiens, *in loco vbi crucifixus est hortus, & in* Vbi sepultus Christus.

 horto

horto monumentum nouum quod ipse sibi Ioseph exciderat in petrâ, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et huc quidem inferre lubuit corpus IESV, propter Parasceuen, vt ait Iudæorum, innuens, si tempus & hora permisissent non eo sepeliendum fuisse loco, qui tam vicinus Caluariæ erat, sed longius transferendum; vbi citra iniuriæ periculum, omnibus fuisset venerationi.

Ioseph & Nicodemus semimartyres.

XII. Mercedem huius officij charitatis & sepulturæ CHRISTI, amplam ab eodem receperunt Ioseph & Nicodemus: nam per eius gratiam non tantum Christiani, sed & Confessores ac Semimartyres euaserunt. Audi quid de hoc Iosepho CHRISTVM sepeliente scribat noster S. Gregorius Turonensis, idq; ex actis Pilati, vt ipse ait, ad Tyberium Romam transmissis: *Apprehensus,* inquit, *& Ioseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipsis Sacerdotum Principibus custoditur, maiorem in eum habentibus seuitiam (vt gesta Pilati ad Tiberium missa referunt) quam in ipsum Dominum, cum ille à militibus, hic à Sacerdotibus custodiretur. Sed resurgente Domino custodibus visione Angelicâ territis, cum non inueniretur in tumulo, nocte parietes de cellulâ, in quâ Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi, ipse verò de custodiâ, absoluente Angelo liberatur, parietibus restitutis in locum suum: cumq; Pontifices militibus exprobrarent, & sanctum corpus ab ijsdem instanter requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Ioseph, & nos reddimus CHRISTVM: sed vt verum cognouimus, nec vos benefactorem DEI, nec nos Filium DEI reddere nunc valemus. Tum illis confutatis, milites ab hac accusatione liberantur.* Verùm hæc ex Euangelio Nicodemi accepta sunt, quod apocryphum est, quare & incertæ & dubiæ sunt fidei.

l. 4. Hist. c. 25.

Ioseph ex Massiliâ in Angliam delatus.

XIII. Deniq; hic Ioseph fertur à Iudæis naui sine velis & remis cum Magdalenâ, Marthâ, Lazaro, & Maximino impositus, DEO remige Massiliam appulisse, indeq; in Angliam nauigasse, ibiq; CHRISTVM prædicasse, ac defunctum esse: vnde ab Anglis quasi *Angliæ Apostolus* colitur. Ita Baron A. c. 35. & Lucius Dexter *in Chronico A. c.* 40. Itemq; vetera Hispaniæ Breuiaria, præsertim Asturicense & Palentinum, quæ ibdem citat Franciscus Biuarius; vnum est, quod mantissæ loco adjunctum velim; qui tantâ veneratione, & cultu petrinum illud Domini sepulchrum honoramus, nullâ peculiari curâ ac studio virum illum nobilem, bonum, ac justum, Ioseph, inquam, ab Arimathæâ, ciuitate Decurionem

Peculiariter colendus.

curionem optimum colemus? qui audacter ingressus ad Pilatum, Corpus IESV petijt, & obtinuit, acceptumq; de Cruce, mundâ sindone inuoluit, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petrâ. Modis sanè quàm plurimis obstrictam, se huic agnoscere debeat humana mortalitas, cui in Seruatore suo, tantâ fide atq; sollertiâ Iosephi famulatæ sunt manus; quare culpâ carere hîc nequeat, quisquis tanti beneficij immemor, huic viro extiterit ingratus. Expenderat id secum attentiùs Eminentissimus S. R. Ecclesiæ Cardinalis P. Petrus Berullus, cuius inter reliqua pietatis exercitia, hoc nequaquam erat postremum, quo præcipuè S. Iosephum ab Arimathæâ, ob causas prædictas venerari solebat, composito ex Euangelio de eodem proprio officio & edito Parisijs anno 1627. quod quia pium & deuotum est, nos proinde quot annis frequentare non intermisimus. Nicodemus verò, cuius solus Ioannes inter Euangelistas meminit, erat Pharisæus, legis peritus, & Magister in Israel, qui venit ad IESVM nocte, cum quo de hominis renascentiâ disputauit, cuius & patrocinium suscepit in concilio Pharisæorum, insignis Gamalielis nepos, atq; vt refert auctor supplementi chron. A. c. 31. Pharisæorum sectæ Princeps, cuius sanctitatem, Mallonio referente in sind. c. 1. eius auus Gamaliel miro descripsit emblemate, dicens: *Nicodemum fuisse velut aureum canistrum, candidis rosis plenum.* Qui de eo apud Lucianum in epist. de Inuentione Corporis S. Stephani hæc narrat: *Cognoscentes Iudæi, illum esse Christianum, amouerunt eum à principatu suo, & anathematizauerunt eum, & de ciuitate exulauerunt. Tum ego Gamaliel quasi persecutionem pro CHRISTO passum sustuli eum in meum agrum & alui, & vestiui vsq; ad finem vitæ eius, & defunctum honorificè sepeliui juxta Dominum Stephanum.* Hinc & Nicodemus in Martyrologio sanctis ascriptus est cum S. Stephano die 3. Augusti.

De Nicodemo.

CAPVT II.

Sepulchri Domini Descriptio.

I.

AD situm Domini sepulchri quod attinet, in horto fuisse Euangelista tradit: non longè à sanctâ ciuitate, propè locum, vbi

CHRISTVS fuit Crucifixus, tum primò, quia circa locum mortis, damnati judicio ſepeliebantur: tum ſecundò quia CHRISTVS ſepultus fuit more Iudæorum, quia corpora defunctorum extra ciuitatem ſepelire, ne contaminarentur, ſoliti erant. Vbi notandum, quod Toletus ſapienter aduertit, *erat hortus in loco*, id eſt propè locum, vbi crucifixus eſt IESVS, quia illa pars agri & montis vbi crucifixus eſt, non erat pars horti, ſed proxima horto, niſi velis locum appellari totum illud ſpatium quod dicebatur Golgotha, in quo & pars illa montis, vbi crucifixus eſt, & hortus iſte concludebatur.

II. Franciſcus Quareſmius accurratus terræ ſanctæ hiſtoricus & inſpector, à cauo in quo plantata fuit Crux ſancta, rectà procedendo vſq; ad locum, vbi ſepultum fuit corpus IESV inueniſſe ſe ſcribit pedes. 132. quos in plagâ occidentali Caluariæ montis, vergendo tamen parum ad ſeptentrionem, ſitum fuiſſe ait, in quo tria diſtincta loca, ſolidâ de rupe excisa animaduertit, veſtibulum, capellulam, & arcam in quâ jacuit Saluator, quæ omnia aduoluto magno ſaxo, ad oſtium monumenti Ioſeph concluſit.

Sepulchrum Chriſti vbi ſitum.

Forma eiuſdem.

III. Formam ſepulchri CHRISTI fusè deſcribit noſter S. V. Beda in Marci c. 15. dicens: *De monumento Domini ferunt, qui noſtrâ ætate de Hieroſolymâ Britanniam venêre, quòd domus fuerit rotunda, de ſubjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, vt intrò conſiſtens homo, vix manu extentâ, culmen poſſit attingere. Quæ habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus aduolutus eſt, in cuius monumenti parte aquilonari ſepulchrum ipſum hoc eſt Dominici corporis locus, de eadem petrâ factus eſt, ſeptem habens pedes longitudinis, trium verò palmorum menſura, cætero pauimento altius eminens. Qui licet locus non deſuper, ſed à latere meridiano per totum patulus eſt: vnde corpus inferebatur.*

IV. Breuiter Adrichomius: *ſepulchrum Domini glorioſum*, ait, *monumentum erat nouum, octo pedes longum, quod à monte Caluariæ centum & octo pedibus, à monte autem Sion, paſſibus mille diſtabat, in horto monti Caluariæ propinquo, quod in petrâ ſibi Ioſeph exciderat. Ioſeph ergò ſuum ſepulchrum ceſſit CHRISTO, & CHRISTVS in alieno, ſcilicet Ioſephi ſepulchro conditus eſt.* Cauſam dat Theophilactus dicens: *Qui non habuit domum in vitâ neq; ſepulchrum habet ſed in alieno deponitur, & cum ſit nudus, à Ioſeph veſtitur.*

V. Hinc-

V. Hinc duo didicerunt Christiani, quæ in mortuorum sepulturâ obseruent; Primum; vt facies cadaueris orientem versus respiciat; qui mos olim apud primos Christianos viguit, teste B. Ioan. Damasceno 4. *Fid. orth. c.* 17. tum vt CHRISTI sepulturam imitentur, quem aiunt capite ad orientem verso sepultum, cùm ad occasum obuerso fuerit crucifixus, velut ex sepulchro Crucem suam adhuc in oculis habere desiderans, nobis vbiq; in exemplum, qui meritis patientis speremus aliquando è sepulchro ad vitam resuscitari æternam. Alterum, vt corporis versus ortum porrecti brachia, & manus decussatæ formam Crucis exprimant, vt & CHRISTVM in sepulchro compositum fuisse, tum S. Sudarium Bisantinum, tum verò S. Sindon Taurinenensis luculentè testatur.

VI. Hic ergò impletum est illud Isaiæ 11. de CHRISTO oraculum: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Hinc per tot secula tot inter, ac tantas rerum, temporisq; vicissitudines, inter medios Turcas integrum semper illæsumq; stetit. Hinc per tot sæcula huc vsq; frequens & religiosa est fidelium ex toto orbe peregrinatio in Ierusalem, ad visendum & venerandum S. sepulchrum Domini. Quam ergò ignominiosa fuit, passio & mors CHRISTI, tam gloriosa fuit eius sepultura, hanc enim illa meruit.

Sepulchrum Christi ha- ctenùs miraculosè conserua- tum.

VII. Audi quid ex S. Augustino scribat noster S. Gregorius Turonensis *Terra ipsa insuper quæ Domini adjacet sepulchro, diuinam quandam ex Dominico Corpore proximè posito virtutem hausit, vt meritò fideles illuc peregrinantes auidè solerent ex eâ accipere, quæ sunt ad curandos morbos, tum etiam ad Dæmones fugandos, vti consueuerunt.* Deinde id ipsum confirmat testimonio S. Augustini: *Est eius rei locuples testis S. Augustinus, dum hæc ait, de Hesperio verò tribunitio: Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus CHRISTVS die tertio resurrexit: eamq; suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illâ infestatione purgata est, quid de terrâ illâ fieret cogitabat, quam diutiùs in cubiculo suo reuerentiæ causâ habere nolebat. Fortè accidit, vt ego & collega meus Maximinus Episcopus in proximo, essemus: vt veniremus rogauit, & venimus, cumq; omnia nobis retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atq; ibi orationis locus fieret, vbi etiam possent Christiani ad celebranda quæ DEI sunt congregari.*

De Glor. Martyr. c. 7.

Miracula per terram vicinam Dominico sepulchro.

VIII. Post

Prima visitatio Dominici Sepulchri.

VIII. Post CHRISTI in cælos ascensum, tum à Virgine Deiparâ, tum Mariâ Magdalenâ alijsq; Christianis frequentatum, atq; in peculiari quodam honore habitum Doctores affirmant. Superuenêre anno 73. Romani, qui vrbe, cæteraq; Palæstinâ in potestatem redactâ, rerum istic potiti sunt, non ita tamen, quin exercitu inde digresso, Christiani plurimi rediuerint, vt Eusebius Cæsariensis *l.* 3. *c.* 25. testatur; quibus sacra illa loca atq; in primis sanctissimum Domini sepulchrum cordi fuit, quod cum impij illi homines Christiani nominis acerrimi hostes diutiùs tolerare nollent, vt de hominum mentibus insignium CHRISTI facinorum memoriam, quam sepulchrum illud alere videbatur, sustollere possent, multam super ipsum terram aggesserunt, quam lapidibus quoq; strauerunt, ac deinde Hadrianus Imperator Iouis simulachrum ibidem erexit, vt quicunq; istuc orationis causà accederet, non tam CHRISTVM, sed Iouem colere videretur.

Iouis simulacrum super sepulchrum Domini erectum.

IX. Latuit in hunc modum Domini sepulchrum ad annum vsq; 326. quando pace redditá Ecclesiæ, Constantinus missâ in Palæstinam matre Helenâ, & Iouis statuam deijci, & terram auehi jussit, cùm statim post tenebrarum caliginem: quibus quasi sepultum jacuerat sanctissimum sepulchrum emersit, cui extemplò Imperator augustissimum mausolæum superstrui voluit, gentium præfectis orientem versus habitantium, mandans vt adjumentis necessarijs abundanter & copiosè subministratis, opus eximium, amplum & magnificum fabricandum curarent.

Quod sustulit Helena Imp.

X. Vnde à S. Helenâ matre Constantini Magni, hoc in loco condita est basilica, quæ reliquas totius orbis amplitudine atq; pulchritudine longè excellit, nam auratis corusca laquearibus, & aureis diues altaribus, marmoreis septuaginta tribus columnis fulcitur; & tam resurrectionis, quam crucifixionis locum, sub vno eodemq; tecto compræhendit; quod in sui medio rotundo patet foramine, apertum, sub quo in interiori Ecclesiæ parte Dominicum consistit sub dio sepulchrum, cui Passionis CHRISTI theatrum, mons Caluariæ, tunc viginti octo pedes altus, Chori loco adhæret, qui octodecim gradibus, quorum singuli pedem & semissem in altitudine continent, sui accessum præbet. Quo circa in hac basilicâ sepeliri voluit Godefridus Dux Bullonij, è Christianis primus Hierosolymæ Rex, cæteriq; omnes Reges post eum.

Basilica super Domini sepulchrum excellit omnes alias totius orbis.

Hic

Hic quoq; viri insignes nobilitantur, & equites aurati creantur.

XI. Mansit autem in hoc statu ad annum vsq; 614. quando Hierosolyma à Chosroe Persarum Rege occupata fuit, relictis tamen in eâ Christianis. Tenuit hic eam annis duobus, quibus exactis, Heraclius Imperator accepto diuinitùs signo, illam cum Domini Cruce, quam Chosroes acceperat, recuperauit, sanctissimo sepulchro antiquam gloriam obtinente. Anno deniq; 638. Saraceni in Ægypto rerum potiti, magnâ Hierosolymâ expugnatâ, terram sanctam in potestatem suam redegerunt, & licet pauci Christiani permanserint, stetit tamen sanctissimum sepulchrum, quod factum credo, non tantum spe lucri, quod, infidelibus illis ex piâ Christiani populi visitatione proueniebat; quam diuinâ quadam prouidentiâ, nam cùm Barbari illi id penitùs demoliri conarentur, diuinitùs prohibiti fuerunt, quod ideò factum censuero, vt inter ipsos Christiani nominis hostes illius gloria elucesceret, atq; adeò ex parte impleretur, quod de eo prædixerat Isaias 11. v. 10. *Et erit sepulchrum eius gloriosum*: itaq; mansit 463. annis in Saracenorum potestate, donec tandem.

Hierosolyma à Persarum Rege occupata.

Item à Saracenis.

XII. Anno 1096. Petrus Eremita diuino Spiritu excitatus, Vrbanum II. monuit, vt in Galliâ pro recuperando sepulchro Domini coacto Concilio, Catholicos Principes ad rem tantam inflammaret; quod cum factum esset, prima Christianorum expeditio, sub Godefrido Duce Bullonio initium cæpit, qui cum trecentis millibus peditum, & centum millibus equitum, Nicæam primùm, & Antiochiam expugnauit, deinde Syriam ingressus, Hierusalem sanctumq; Domini sepulchrum Anno 1099. recuperauit, quantâ verò id gloriâ tunc coruscarit, nemo facile narrarit, Et annos quidem circiter 88. hoc statu floruit, cùm Anno Domini 1187. sub Guidone Lusignano, Nono Hierosolymorum Rege vrbs deperdita cum sepulchro fuit, neq; ampliùs recuperata, inuadentibus eam Ægypti Regibus, quos inuidia & dissensio nostrorum aduocarat.

Prima expeditio Christianorum in terram S.

XIII. Anno 1195. Mortuo Saladino Ægypti Rege in magnam spem recuperandi sanctissimi sepulchri venerat Cælestinus III. P P. hic Henricum Imp. qui mortuo Tancredo regnum Siciliæ occupauerat, ad bellum Asiaticum adhortari cæpit, & res bellè cæpta fuit, multis magnisq; ducibus Henrico Palatino

Secunda expeditio in terram S.

Rheni, filio Ducis Saxoniæ, & sororis Regis Angliæ, fratre Imperatoris, cum Duce Brabantiæ Crucem tollentibus, Symbolum erat, *vult Deus, vult Deus*. Verùm expeditionis huius Germanicæ alacritas & apparatus, falsorum fratrum improbitate in nihilum recidit, dilapso exercitu & mox ad patrios fines reuerso.

XIV. Nec ideò destitit Cælestini Successor Innocentius III, qui eodem excitatus zelo, quod prædecessor cæperat, magnâ conatus solicitudine perfectum dare, cunctis ferè in partibus Christiani orbis, qui Crucem prædicarent, excitatis, vnde factum, vt Anno 1205. Dux Venetiarum cum Bonifacio Marchione de monte ferrato multisq; Italiæ Principibus, Comite Flandriæ, &c. per Græciam iter Hierosolymam versus arripuerint, sed nec ista expeditio optatum finem assecuta est, exercitu ad Alexium Commeaum contra fratrem juuandum diuertente.

Tertia expeditio Italorum.

XV. Anno deinde 1245. Innocentius IV, legatum in Franciam misit, vt Francigenæ bellatores pro liberatione Dominici sepulchri arma sumerent; ac transfretarent, nec surdis auribus acceptus fuit, Regem Christianissimum Ludouicum Año 1248. ac multa millia Cruce signauit, cum quibus voti reus, quod Año superiore cùm de grauissimo morbo conualuisset, ediderat, trajecto mari ad interiores partes Ægypti non cautè satis ac considératè progressus, in Saracenos incidit, à quibus infæliciter cæsis fugatisq; copijs, ipse in manus hostium venit, & cum plurimis ex nobilium numero à Saracenis captus fuit, ac deniq; graui litro redemptus, re infectâ ad suos reuersus est.

Quarta Gallorum.

Ludouicus Rex a Saracenis captus

XVI. Magna vis conscientiæ, addo ego, & amoris, quoniam vtriusq; potentiam expertus Ludouicus, quanta hic & ille in se effecerint luculentè ostendit: considerans namq; illam peregrinationis viam quam nuper in Syriam instituerat, plus Regno Franciæ dedecoris, quam laudis ipsi Ecclesiæ peperisse, consulto Clemente summo Pontifice, reuerti eodem statuit, ascito in societatem Eduardo Henrici III. Anglorum Regis filio, multisq; alijs, cum quibus Anno 1269. Tunetum classem direxit, sed O *altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia judicia tuá?* extingui plurimi & in his ipse Rex animi excelsitate vitæq; Sanctimoniâ præstantissimus, cuius obitu factum, vt classis irrito conatu Siciliam repeteret, vnusquisq; in domum suam rediret, sanctissimo sepulchro in Saracenorum manibus persistente, minimè

Quinta Ludouici Reg. iterata.

nimè tamen à pijs peregrinis, ceterisq; Christianis in viciniâ commorantibus neglecto, qui Barbarorum auaritiâ magnis auri argentiq; vectigalibus ac tributis exsatiatâ identidem, illud inuisere non omittebant, donec circa Annum 1330. agentibus Roberto, & Sancio pijs Siciliæ ac Hierosolymæ Regibus, magnis sumptibus ac laboribus grauibus à Soldano Babyloniæ, qui sepulchrum Domini possidebat impetratum est, vt Fratres Minores intra Ecclesiam Dominici sepulchri perpetuò possent commorari, quibus sanctissimum CHRISTI Saluatoris monumentum ex eo tempore commissum, maiori cœpit ab omnibus ac liberiori cultu religioneq; celebrari.

Fratres Minores custodes S. Sepulchri.

XVII. Perdurauit autem hoc Regum Ægyptiorum Imperium, quo Hierusalem, vicinasq; regiones possederunt, annis 330. Quibus jam finientibus anno Domini 1517. à Selimo Turcarum Imperatore vrbs sancta cum diuinissimo sepulchro capta fuit, in cuius ditione hodieq; persistit, Turcis solâ spe lucri, quod ex vectigalibus Christianorum colligunt, alijsq; nationibus ac populis sacrum tutantibus monimentum: cuius gloriam quoq; magna illa diuini Numinis prouidentia vel tali viâ modoq; conseruat, adeò vt quemadmodum eo tempore, quo CHRISTVS in sepulchro jacuit, ad eius honorem & gloriam designati fuerunt Pilati Præsidis milites, nec sanctorum virorum Angelorumq; defuit custodia, ita nunc postquam gloriosus exiuit, ad perennem illius gloriam, à ministris Præsidis ciuitatis Hierusalem custoditur: ipsi templum & sepulchrum Domini sigillo munitum seruant & custodiunt, Franciscani Patres, velut fortissimi quidam milites, & ad bella spiritualia doctissimi, mortificationis gladio, & orationis scuto, ad illius gloriam excubant. Et quid dico Turcas, vel Fratres Minores? ipsæ Schismaticæ Orientis nationes, in sacratissimo sepulchro ad hunc finem commorantur, ne ipsi damnum aliquod inferatur. Hinc præter Catholicos Græci, Armeni, Gophiti, Iacobitæ, & Abissini illud die ac nocte circumdant, quale honoris obsequium nec in superbissimis Regum aut Imperatorum inuenias Mausolæis, vnde tanto scelestius atq; detestabilius Iudæorum elucet odium, quo hoc sanctissimum sepulchrum euersum volunt, quod nuper sub annum 1600 clarè patuit, cum ij, quotquot ex illâ colluuie per orbem sparsi erant, collatâ stipe conflarant summam quingentorum millium aureorum, eamq;

Hierosolyma à Turcis occupata.

Variæ nationes etiam etiam Schismaticæ circumdant S. Sepulchrum

Turcarum Tyrano obtulerunt, vt illud dirueret, sed irrito conatu. Perstat etiamnum gloriosum & cunctis, vt dixi, præter Iudæorum sectis venerabile Mausolæum.

XVIII. Hinc sacrosanctum hoc Domini Seruatoris sepulchrum, S. Athanasius *immortalitatis locum appellat, officinam resurrectionis, dissolutionem sepulchrorum, & monimentum, in quo mors, & in quo vita lata fuit, non habitura finem.* Nostræ sit contemplationis & actionis objectum, adminiculum & quies & quoniam tumuli huius caremus hæreditate, nec juxta licet occumbere, id etiam vehementer oremus, vt indulgentiam saltem is, qui in eo aliquando jacuit, nobis impertiatur aliquam ex agro sanguinis, & sepulturæ locum tribuat in sepulchro peregrinorum, de quo ad immortalitatem feliciter resurgamus. Hæc vera sapientia, hæc casta religio est, ad quam Seraphicus olim sanctus Bonauentura tantis impendijs anhelabat, dicens *O bone IESV nihil aliud peto in hac vitâ, nisi vt sim tecum perfectè crucifixus in Cruce, non peto pulchritudinem cæli, sed turpitudinem tam; non peto gaudia, sed vulnera; intrent tua vulnera in cor meum, intret cor meum in vulnera tua, vt sigillum & sigillatum.*


Subjungo Elogium sepulchri Dominici, quod R. P. Hadrianus Lyræus S. I. ex P. Blomplano in suo accuratissimo tractatu de Imit. IESV patient. inseruit; ex quo & nos non pauca transtulimus, quem proinde cuilibet religioso Ascetæ studiosè euoluendum suademus.

Siste homo, vbi sistit DEVS.
Imò propera, quo properauit Deus.
Hæc vrna non minus hominum,
Quam Dei terminus est.
Renascitur homo,
Vbi tumulatur Deus:
Inchoatur immortalitas hominis,
Vbi desinit immortalitas Dei
Sed dole dum sistis,
Exanimis Deus est,
Quia homo deseruit Spiritum Dei:
Deijcitur in tumulum

Quia

Quia è corde eijcitur.
Nisi doles, time,
Prope tumulum, Tribunal erit.
Qui jacet Reus mortis,
Vitæ Iudex sedebit.
Immò nec dolè, nec time,
Sepulchrum CHRISTI,
Limen est cæli.

Claudo Caput, & in capite librum, dulcissimo melliflui nostri Bernardi monito dixerim an consilio, dum libro de vitâ honestâ sic scribit: *Sit igitur tibi IESVS semper in corde. & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat: hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, meditatio tua, vita, mors & resurrectio tua:* Dicoq; cum pijssimo Virginis Matris Archicapellano & Archipræsule magno Anselmo: *Et nunc Domine IESV Redemptor meus, te vt verum Deum adoro, in te credo, in te spero. Adiuua imperfectionem meam: ad tua passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totam me inclino.* Epilogus.



Bomplani Elogium de morte.




A Morte discimus artem vitæ,
Mortis imago, imago est vitæ.
Mortis lineamenta
Sunt vitæ documenta.
Intuere
Quid nuditas capitis indicat
Nisi nudam scelere mentem?
Caput vitæ mens est
Quid aridus explicat vultus,
Nisi vacuum cupiditate cor?
Vultus vitæ cor.
Quid ossa stantia portendunt,
Nisi morum constantiam?
Constat vita moribus
Vti corpus ossibus.
Quid Horologium monet,
Nisi æternitatem ?
Mensura vitæ æternitas.
Quid falx in manibus nisi justitia.
Quæ bene acta metit, male acta cędit?
Ergò disce mortalis viuere
Dum discis mori.
Non vitam absoluit mors
Sed delineat.

F I N I S.

THeatrum D. Noſtri IESV Chriſti, à Theologis, quòd nec Fidei Catholicæ repugnet, nec bonis moribus aduerſetur, cenſum, ad excitandam fidelium deuotionem, & amorem erga Paſſionem Domini Noſtri IESV Chriſti in publicum prodeat. Auguſtæ. 31. Ianuarij. 1658.

GASPAR Epiſcopus Adramytenus Vicarius Auguſt.



INDEX CAPITVM

CAP. II.

PARS VII.

PARS VIII.

PARS IX.


PARS X.



Exutus

Lan-

FINIS.



[illegible]